Digitized by Google

Os
21. 7. 138
21 0.7
Digitized by Google

Digitized by Google

ARS BENE SCRIBENDI
STUDIOSIS RHETORICÆ
ADOLESCENTIBUS

Propoſita olim in Collegio Romano

A P. RAINERIO CARSUGHIO
SOCIETATIS JESU.

CARMEN DIDASCALICUM.

Adduntur præterea nonnulla ejuſdem
EPIGRAMMATA.

ROMÆ, MDCCIX.
Ex Typographia Antonii de Rubeis
in Platea Cerenſi.

Superiorum Permiſſu.

41

Digitized by Google

Typographus Lectori.

CUM fermè fiat, ut eos, quorum ſcripta diligimus, & admiramur, ſi minus de facie, aliquâ ſaltem ratione cognoſcere, vehementer cupiamus; conſultum duxi, antequam de Opere ipſo paucula dico, nonnulla de ipſius Auctore præmonere. Natus igitur eſt Pater Rainerius Carſughius honeſtiſſimis Parentibus Anno Reparatæ Salutis 1647. *Biturgii, quæ Urbs Magni Etruriæ Ducis imperio paret. Annum jam agens decimumquintum, non paternis ſolùm commodis, ſed iis etiam præmiis neglectis, quæ illi magna ad Virtutem indoles, illuſtre ingenium, & promptum, mores ſuaviſſimi, facillimique pollicebantur, Societati Jeſu nomen dedit. Juventutem ibi ſuam partim tradendis de more humanioribus litteris, partim ſublimioribus diſciplinis perdiſcendis ita exegit; ut exempla omnibus reliquerit pietatis, modeſtiæ, doctrinæ, prudentiæ tam longo temporis intervallo in hominum animis adhuc defixa. Decurſo ſtudiorum ſpatio ad prælegendam Philoſophiam*

Digitized by Google

ſe comparabat; cum repente mutato conſilio ad excolendam Rhetoricæ præceptis Romanam Juventutem evocatus, totos ſeptem Annos eo in munere collocavit: non ſine maximâ Auditorum ſuorum felicitate, quos doctiſſimus æquè, atque Religioſiſſimus Præceptor quantùm ingenio, diligentiâ, eruditione ad omnem clariſſimæ Artis abſolutionem; tantùm exemplo, adhortationibus, privatis colloquiis ad nobiliorem Divinæ Sapientiæ cognitionem formabat. Teſtes ſunt tot Religioſæ familiæ ornatiſſimis Alumnis operâ ipſius auctæ: tot illuſtres Viri, qui grandi jam ætate tenaciſſimè adhuc hærere animis hauſta ab illo documenta profitentur. Verùm quia tanta Virtus intra privatæ Umbras paleſtræ contineri diutiùs non debebat; publicam rem juſſus capeſſere, nonnullis primùm ex præcipuis Romanæ Provinciæ Collegiis adminiſtratis, Romanum Tirocinium toto ſeptennio temperavit. Cujus quidem graviſſimi muneris partes quam cumulatè omnes expleverit: quantâ vigilantiâ, ſedulitate, curâ, providentiâ, charitate teneram illam, & lactentem Societatis futuræ ſpem foverit, & excoluerit, longùm eſſet commemorare. Aliquot deinde Annos Societati Univerſæ operam navavit à ſecretis ejuſdem conſtitutus. Demum Romanæ Provinciæ præpoſitus, tertio

Præ-

Præfecturæ ſuæ anno nondum evoluto, graſſante vulgò per inclementiſſimam hyemem peripneumoniâ correptus, die Sancto Thomæ Aquinati ſacrâ, quem ſingulari ſemper obſervantiâ, ac Religione coluerat, triſtiſſimum Sui deſiderium, non ſociis modò univerſis, ſed principibus etiam Viris benè multis relinquens, religioſiſſimè obiit, Anno Salutis 1709. *ætatis* 62. *nondum expleto. Peracerba ſanè accidit Romanæ præſertim Provinciæ cariſſimi Præſidis jactura, eo potiſſimùm tempore, quo maturitate conſilii, longâ experientiâ rerum, gravitate morum, exempli auctoritate maximum publicæ rei commodum allaturus videbatur. Fuit enim Vir religioſæ diſciplinæ, legum domeſticarum, veterum conſuetudinum non cultor ſolùm eximius, ſed ſtrenuus etiam Vindex, & Cuſtos perdiligens: illud ſubinde dictitans, nihil ſe malle, quàm ut talis traderetur Poſteris Societas, qualem majores reliquerunt. Hinc omnes ad Pietatem vehementer acuere, litteras, bonaſque artes enixè fovère, eos ſolùm majore benevolentiâ complecti, quos Virtute florere præ cæteris intelligeret: Demum omnem curam, cogitationem, diligentiam, operam in vero, germanoque Societatis Spiritu aliorum animis inſerendo, ſingulari firmitate,*

tate, & conſtantiâ impendere. Etenim nihil aliud in conſilium ſolitus adhibere præter divinam Gloriam, & Bonum commune, ſicut ab omni feſtinatione, quæ cæca nimirum ſemper eſt, & imperita, vehementer abhorrebat; ita quæ maturè, & cogitatè deliberaverat, naviter, impigrèque urgebat, offenſionis, & gratiæ perinde ſecurus. Quamquam offenſiones non erat cur metueret: faciebat enim admirabilis quædam ingenii ſuavitas, ſermoniſque præterea lepos, ac venuſtas, ut eximiè ab omnibus diligeretur. Nihil in ejus fronte auſteritatis, triſtitiæ, ſupercilii, facilè Patrem omnes agnoſcerent, & amarent. Nec Sociorum modò, ſed illuſtrium etiam Virorum, Præſulum, Principum, Purpuratorum Patrum animos cùm Romæ, tùm alibi ſibi conjunxerat: capiebantur enim hominis candore, prudentiâ, pietate præſertim, quâ colloquia ſua ita aſpergebat ſemper, & quaſi condiebat; ut, cum nihil eſſet illius conſuetudine jucundius, nihil etiam eſſet utilius. Eò fiebat, ut amicè, & planè familiariter illo uterentur: cum eo de graviſſimis negotiis communicarent: nonnulli etiam conſcientiam ipſi ſuam moderandam permitterent. Nam cæteris etiam naturæ donis largiſſimè erat inſtructus. Ingenium illi erat acre, velox, ferax, perſpicuum

in

inprimis, ac dilucidum, & quod ſententiam ſuam feliciſſimè, planiſſimèque cæteris aperiret. Conſilium promptum, ac certum, cum rem totam ſtatim introſpiceret, momenta expenderet, conſecutiones provideret. Ad hæc mira ſcribendi, commentandi, dicendi facultas, & ubertas: Oratio cùm Latina, tùm Italica nitida, gravis, pura, liberalis: hanc ipſe deamabat in ſe, hanc aliis commendabat. Nam quid de ejus memoria ego dicam? Sæpius ipſe amicis narravit, cum ſcribendum ſibi, aut dicendum aliquid eſſet, ſtatim quidquid in eam rem aut audiviſſet, aut ex aliorum libris excerpſiſſet, promptè, fideliterque occurrere. Quod quidem majori admiratione dignum videatur ſpectanti, quàm multa ille adnotarit. Plura earum rerum volumina reliquit: ut difficilè ſit intelligere, unde tantum otii homini graviſſimis muneribus implicito ſemper, ac diſtento potuerit ſuppetere. Sed præterquamquod ſomni erat parciſſimus, diligens præterea, laborioſus, quique ne ipſa quidem temporum ſegmenta excidere ſibi, & elabi pateretur; nulla verè fuit, operoſa quamlibet, & impedita procuratio, quæ magnam temporis vacui partem ipſi non relinqueret. Ideo inter curas, & negotia, ſub quorum mole alii propè fatiſcebant, otioſo ſimilis, & planè ſoluto ipſe

videbatur: adeout non promptum ſe modò, & expoſitum omnibus liberaliſſimè exhiberet; ſed alios, atque alios labores, aut oblatos facilè exciperet, aut ſponte etiam ſuâ arceſſeret. Jam verò ut aliquid de ipſius ſcriptis ſignificem; facilè quidem, quia ad animarum ſalutem ſpectabant, vulgari paſſus eſt piarum commentationum libellos: qui ſtatim ſummâ aviditate excepti, tantum Sui deſiderium acuerunt; ut iterum jam typis committendi neceſſario ſint: ſed Carmen hoc Didaſcalicum, quamquam ab eo recitatum magnos plauſus commoviſſet, per multos annos nunquam expugnari potuit, ut ederet in lucem: tandem Amicorum precibus victus, de perpoliendo Opere cogitabat: at inopinâ morte interceptus, iiſdem adornandæ editionis negotium reliquit. Addita ſunt mantiſſæ loco, aliqua ejuſdem Epigrammata, quæ nitorem ipſius, & facilitatem in ſcribendo planiùs aperiunt. Hæc ſunt, quæ te, ſtudioſe Lector, volui cognoſcere, non tam ut Opuſculi hujus dignitatem ex Auctoris præſtantiâ faciliùs æſtimares, quàm ut memoria Clariſſimi Viri ad poſteros etiam, ut par erat, tranſmitteretur.

MI-

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Ars bene ſcribendi, ſtudioſis Rhetoricæ Adoleſcentibus propoſita olim in Collegio Romano à P. Rainerio Carſughio Societatis noſtræ Sacerdote. Carmen Didaſcalicum. Adduntur prætereà nonnulla ejuſdem Epigrammata*; aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi ità iis ad quos pertinet videbitur. Cujus rei gratia has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 14. Julii 1709.

Michael Angelus Tamburinus.

Im-

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Archiepiſcopus Theodoſiæ Viceſg.

MAndatis Rev. P. Paulini Bernardini Ord. Præd. obſecutus legi *Artem bene ſcribendi ſtudioſis Rhetoricæ adoleſcentibus Carmine didaſcalico a P. Rainerio Carſugbio Societatis Jeſu propoſitum*. Simul legi *Epigrammata*, ab eodem conſcripta, quæ mantiſſæ loco adiiciuntur. Nihil in eis offendi, quod Religionis Catholicæ placita violet, vel bonis moribus obſit. Numeri, candor, venuſtas, & pietas præclarè in verſibus eminent. Præcepta, quibus ad non corruptam, neque fucatam eloquentiam adoleſcentibus viam oſtendit, Viri prudens, cultumque ingenium luculenter probant. Epigrammata ingenuis diſtincta luminibus, ac pura, facilique ſuavitate commendanda non minorem Auctori laudem accerſunt. Luce dignum idcircò politiſſimum Opus cenſeo. Romæ è Cænobio Minervitano IX. Kalendas Auguſti 1709.

Fr. Thomas Maria Minorelli Ord. Præd. S.T.M.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. Sac. Apoſtol. Pal. Mag.

CAR-

CARMINIS
DIDASCALICI
LIBER I.

De Arte legendi probatos Scriptorum libros, & ſelecta adnotandi.

Quo deceat ritu, veterum monumenta virorum,
Quo ſtudio verſare, libros quæ cura legendi
Conveniat, Rhetor paucis, adverte, docebo,
Optima ne puro deſint tibi pabula ſucco.
Scilicet hanc primùm Tiro niſi noverit artem,
Quàque rapit juvenilis amor ſine lege feratur,
Huc modò, nunc illuc ſtudio jactatus inani;
Nil diſcat, longique cadat labor irritus anni.
Tu modò, tu noſtris præſens allabere cœptis,
Unica Romani quæ diceris arbitra Pindi,
Numinis alma Parens: tu Diva, docere docentem
Ni renuis, potes una novum formare Magiſtrum,
Vatibus intactas carmen qui primus ad artes
Flectit, & ignotos audet recludere calles.
1. Si quis Apollineæ correptus amore Palæſtræ 1 Legendum.
Plu-

Digitized by Google

Plurima ſcire cupis, nec vanum quærere nomen
Muſarum in regno, jam nunc aſſueſce, legendi
Experiare graves juvenili pectore curas.
Nam velut admotis puerilia corpora Matris
Uberibus creſcunt; ſic lectio pabula menti
Sufficit, ingeniumque fovet, vireſque miniſtrat.
Extinctæ quondam nutritum lacte Parentis
Infantem perhibent, cum terræ concita motu
Mænia, queis dedit Antiochus cum nomine famam,
Traxiſſent miſeram ſubitò collapſa ruinam.
Haud ſecus ingenio præbent alimenta Parentes
Extincti, quorum ſervata volumina, ſeris
Vitalem poſſunt præſtare Nepotibus eſcam.
Hoc ſtudio illuſtres animæ, celeberrima faſtis
Nomina, Palladiis creverunt artibus. Auxit
Dives Ariſtotelem librorum copia, Regis
Pellæi dabat egregio quos gaza Magiſtro.
Arcanas Grajum ſedes, opulentaque regna
Virgilius tacitè luſtrans, populatus Homerum,
Exuviis Latium repetens decoravit Achivis.
Romanos idem Proavos, quoſcunque vetuſtas
Arte rudis tulerat, carioſaque carmina vatum
Evolvens, Lucreti audet ſpoliare ſepulcrum,
Effoſſumque Enni de rudere colligit aurum.
Non etenim didiciſſe pudet. Sic maxima quamvis
Flumina ſubſidium non dedignantur aquarum,
Quas humiles tenui deducunt limite rivi,
Nec pudet acceſſu fluvii creviſſe minoris.
Ergo lege: inſinuant facili ſeſe omnia lapſu
Dum legimus. Per aprica frequens cum rura vagaris,
Sole ſub ardenti, nigrum trahis inde colorem
Neſcius. Haud aliter, dum priſca volumina verſas,
Anti-

Antiquos animo duces imitante colores.
Dumque alios tacitè ſpectas, ſpectabilis ipſe es.
Nec mora: ſcribenti ſtupeas occurrere paſſim,
Et fluere ad calamum, quæ dudum legeris, & jam
Inſolitas miraris opes, inopinaque dona.
Sic etiam mores aſpergit amicus amico,
Effigiemque animi: ſunt jam non alter, & alter;
Eſſe putes unam, non uno in corpore, mentem.
2. Hinc ut amicorum juveni delectus habendus,
Sic quoque librorum, & major: ne pravus euntem
Decipiat callis, miſeroque errore fatiget.

2 Legendum cum delectu, & primò cavendum à libris obſcœnis.

Nec tibi diſcendi ſurgat tam dira cupido,
Ut libros adiiſſe velis, qui Cypride turpi,
Laſciviſque jocis ſordent: his ſulphura nigra
Alecto afflavit, ſtygiamque obſcæna Mephitim.
Aurea ſed nitido decurrunt carmina rivo,
Et ſonus invitat, pretioſaque vena. Caveto
Inſidias, pulchrâque dolos ſub imagine tectos.
Incautas removeto manus. Sint gemmea quamvis,
Lætaque Setino ſpument carcheſia Baccho;
Miſta venenatus vitiat cum pocula ſuccus,
Delicias triſtes fugimus, blandumque venenum,
Nec tibi ſit tanti ſtudiis clareſcere Phæbi,
Ut niveum properes animi violare pudorem,
Scilicet ut diſcas, diſcendi perdere cauſas.
Conſule virgineos Cycnos, muſaſque pudicas,
Virgilius quales, quales Lucanus amabat,
Quos furor innocuus, non improbus ardor agebat.
3. Nec ſecus interea libros vitare jubemus
Arte laboratos tenui, craſsâque Minervâ.
Optima ſunt primùm ſpectanda, ut protinus altè
Inſideant animo meliorum exempla, diuque,

3 Tironibus legêdi ſunt probatiſſimi.

Quo

Quo ſemel imbuitur primùm, mens ſervet odorem.
Cui teneræ vires, & adhuc mutabilis ætas,
Ne temerè ſcrutanda ſibi putet omnia: quamvis
Admiſtum cœno rivus devexerit aurum,
Deteriora ſequens Tiro, potiora relinquet.
Virtuti vitium ſe miſcet, & illius ora
Mentitur fingens, juvenes quò fallere poſſit
Ignaros fraudum ſpecies fucata decoris.
Sæpius, & citiùs vitiorum exempla laceſſunt,
Aurea quàm certo gaudens moderamine virtus,
Limitibus contenta ſuis: ruit impete multo,
Arrectoſque animos vitium violentiùs urget.
Aſpice quos vulgo plauſus, quæ murmura famæ
Prodigus ille ferat: moderatos gloria ſumptus
Parva, minorque manet. Solers Prudentia vires
Cui regit, & cohibet, fortis vix creditur: at quos
Præcipites ardor temerarius urget in hoſtem,
Hos amat inſanum vulgus, cæloque reponit.
Non aliter, cupidus nimium percurrere libros,
Inſanos Auſus, Tiro, ventoſaque dicta,
Ac tumidum quodcumque ſonat, miratur, & haurit.
Urget enim juvenilis amor, ſtimulatque volentem,
Ut poſita in medio fugiat, peregrina ſequatur.

4 Damna ex malorum librorum lectione.

4. Aſt ubi ſe vitium primis immiſcuit annis,
Pravaque tranſverſum rapiunt exempla, laboras
Tunc fruſtra, ut melior redeat ſententia menti;
Hæret enim, reſidetque haud extirpabilis error.
Viderat hoc Fidicen, quo non præſtantior alter
Argutas facili percurrere pectine chordas,
Timotheus: Merces erat huic geminanda, Magiſter
Si prius e trivio tenerum docuiſſet Alumnum.
Et meritò: duplex labor eſt, ubi prava neceſſe eſt
Ante

Ante animo eradas, quàm recta reponere poſſis.
Prodiga quid memorem miſeræ diſpendia vitæ,
Ingentem jacturam, & non reparabile damnum?
Siccine, limitibus quaſi non claudatur iniquis
Vita brevis, facimus breviorem vana ſecuti?
Heu quantâ potuit diteſcere Pallade pectus,
Dum malè ſollicitas nugis donavimus horas.
Ergo age te Ducibus comitem melioribus adde.
5. Hærendum tamen eſt uni, certoque Magiſtro. 5 Unus præcipuè Auctor legendus.
Crede mihi, ſtudiis nocet inconſtantia: nuſquam eſt
Quiſquis ubique habitat, nec certâ in ſede moratur.
Cernis, ut arcano febris quem paſcitur igni,
Irrequieta dapum patitur faſtidia? Libat
Carptim cuncta: cibos nunc hos, nunc vellicat illos:
Nec tamen ex illis alimenta ſalubria ducit.
Plurima non aliter ſtudio libatur inani
Pagina: delaſſant vacuam ſua tædia mentem.
6. Si tentare juvat facundas Rhetoris artes
Expugnatrices animorum, & dicere cauſas, 6 Inſinuantur, qui potiſſimum legendi.
Dux præit Arpinas. Romanum hic unicus æquat
Imperium ingenio, ſeu leges ille loquendi
Tradit, ſeu leges, idem quas tradidit, implet.
Non deerunt aliò qui te divertere malint,
Et malè ſollicitent; aures tamen obſtrue, & illam
Carpe viam, Tulli quam nobilis orbita ſignat,
Ac tantum te ſcire puta, tibi pectore quantus
Inſedit Cicero. (a) Fabio ſic judice cautum eſt.
At ſi fortè tuos Divina Poëſis amores
Acriùs irritat; præeuntem pronus adora
Virgilium, quantumque vales imitare canendo.
Nec

(a) *M. Fabius Quintilianus*.

Nec te Lucani gravitas arguta laceſſat,
Nobile Papinii, Claudique volubile carmen;
Ut Maro non ſapiat: claros laudato Poëtas,
Virgilium colito: ille tuis ſit norma Camænis.
Singula quid memorem? Quamcunque acceſſeris artem,
Delige præcipuos. Satiras moderetur Aquinas.
Regula ſit Flaccus lyricis. Elegia Tibullum
Conſulat, ac Latios qui digerit ordine Faſtos.
Imbuat Annæus Tragicos. Epigrammata ſcribis?
Bilbilitanus olor præeat. Quid plura? Per omnes
Ire labor: breve ſit monitum. Contemnito rivos,
Cùm fontes adiiſſe datur, primoſque receſſus,
Purior unde fluit, neque ſordibus illitus humor.
At ſervum pudet eſſe pecus, nullique ſecundum
Non tritâ juvat ire viâ, Ductore relicto.
Ne pueri, ne tantum animis aſſueſcite faſtum.
Sed velut armigeræ ſoboles generoſa volucris,
Cui validæ nondum ſurgunt ſub pectore plumæ,
Imbellis reſidet nido, nec vana volandi
Erigit ambitio, velit ut ſe credere cælo,
Fulminaque affectet deferre Miniſtra Tonanti.
Quippe ſuas noſcens vires, quæ pabula Mater
Detulit, his vivit, nec prædæ aſſurgit amore.
Interea obſervat genitricem, artemque volandi
Accipit, aſpiciens tacitè queis niſibus auras
Illa ſecat, donec tandem creſcentibus alis
Aſſociare queat, matremque præire Magiſtram;
Talibus exemplis animos moderare ſuperbos,
Quodque alii ſcripſere legas, ut ſcribere poſſis,
Qualia venturi properent legiſſe Nepotes.
7 Quomodo legendum. 7. Lentè feſtinans legito: nam lectio præceps
Obruit ingenium, non implet, ut impete multo

Præ-

Præcipitans imber, non irrigat, eluit agros.
Si rores imitantur aquæ, ſenſimque benignis
Pervadunt pluviis, placidâque aſpergine campos;
Agricolæ arridet votis uberrima meſſis.
8. Forſitan hîc quæris, quæ ſint potiora legendi 8 Quando legendum.
Tempora? Cum properas aliquid legiſſe, Magiſtrum
Conſule, quem ſequeris, donec tibi lectio ſenſus
Commoveat ſimiles, cognatoſque excitet ignes
Pectore. Præterea his curis impendito florem
Temporis, & primos primâ ſub luce labores:
Aptior ad ſtudium nullis mens excita curis
Dum viget, ac ſomni reparavit munere vires.
Si tamen hiſtorias facili percurrere motu
Eſt animus, libroſve alios leviore Minervâ;
His tribuas vacuas curis gravioribus horas:
Scilicet excipiunt quæ proxima tempora menſam;
Proxima, ſed ſpatiis eadem diſtantia juſtis,
Munera ne crudi turbes vitalia ventris.
Sic ſchola nos docuit Medicis celebrata Salerni.
9. Quin etiam, horarum ſi quando minuta ſuperſunt 9 De horis ſubſecivis.
Fruſtula, quæ ſtudiis veniant minus apta ſeveris;
Elabi non illa ſinas: compendia ſecum
Multa ferunt, & opes animo, quas temnere ſtultum eſt.
Temporis exigui fragmen, parteſque relictas
Si relegas ſimul agglomerans; tunc denique menſes
Iſſe tibi vacuos, ſteriles miraberis annos.
Cernis ut artifices pretioſi fruſta metalli,
Relliquias limæ ſervant? At fragmina ligni
Aſcia ſucciſi ſpernit. Sic temporis ullum
Ne tibi ſegmentum pereat: pretioſius auro eſt.
Sic Cato, cum Patres poſcebat Curia, volvens,
Quæ ſecum attulerat, dum turba togata coiret,

Fallere conſuevit ſapientibus otia curis.
Plinius haud aliter clarus de Rhetore Conſul,
Ad Lari patrias, Umbri vel Tibridis undas,
Quas prope tranquillo ſurgebat villa receſſu,
Fallere gaudebat ſalientes gurgite piſces
Retibus, aut hamo, ſed non dimittere libros
Interea: ſignans, fuerant quæ viſa legenti
Optima, ne ceras ad tecta referret inanes,
Si vacuos prædâ caſſes fortaſſe tuliſſet.
Ille etiam campis errans fugitivus apertis,
Veſvius ignitos latè cum ſpargeret imbres,
Flammarumque globos, avulſaque ſaxa rotaret,
Inſtabat ſtudiis: ne tempus inane periret,
Livius erranti comes ibat, corde pavente
Quem legeret, raptimque manu trepidante notaret.
Quin & Alexander ſævi inter prælia Martis
Otia muſarum coluit, ſomnoque gravatus
Cum legeret, carmen cervice premebat Homeri.
Hos tibi proponas: pereant ne tempora quamvis
Parva tibi; librum tecum deferre memento,
Quem facili evolvas conceſſa per otia curſu.

10 **Moderatè, & attentè legendum.**

10. Cum legis, aſſiduo ne tradas longa labori
Tempora, ſed poſtquam geminas expenderis horas,
Siſte parumper opus; renovabunt otia vires,
Acrius ut repetat mens inſtaurata laborem.
Dum legis, advertas num ſint accommoda ad uſus
Forte tuos, quæ ſcripta legis, ſeu carmina pangis,
Seu cauſas orare juvat, ſeu regna pererras
Naturæ, rerum cupidus cognoſcere cauſas.
Quod tibi propoſitum eſt ſpectes, huc dirige curſum.
Aſpicis ut, campo quamvis paſcantur in uno,
Sedula quærit apis flores, ad gramina fertur

Acer

Acer equus, tondent avidæ virgulta capellæ?
At leporem canis, audacique ciconia roſtro
Inſequitur pictos liventia terga colubros,
Eſcam quiſque ſuam: ſic codice lector in uno
Diverſus diverſa petit, gaudetque repertis.
Sed quando alloquimur præſertim Rhetora, leges
Has illum ſervare velim. Sententia primùm
Quid ferat obſervet: num ſpectent omnia finem:
Sitne ſuum dictis pondus: num demere poſſis,
Addere vel dictis aliquid: num ſingula nexu
Quo decuit junctura liget: quo pondere verſus,
Queis numeris ſe proſa rotet; translata,. figuras,
Lumina, ſollicita ſecum ratione volutet.
Hæc ubi ſedatè cognoverit omnia; reſtat
Ut reputet ſecum, quæ ſunt objecta legenti,
Qua poſſit ratione ſuos convertere in uſus,
Scribere cognatum quiddam ſi fortè laboret.
11. Nunc age, ne fallant oblivia multa legentem, II Lectioni adjungenda eſt adnotatio.
Quo caveas ſtudio (res eſt metuenda) docebo.
Non unus mos eſt. Illi ſubſcripta notabit
Linea verſiculis, quidquid meminiſſe juvabit.
Aſt alios novi, queis chartula ſignat adhærens,
Quod ſemel arriſit, rurſumque reviſere mens eſt.
Illi autem ceras malint adhibere rubentes;
Audaces alius foliis immiſerit ungues,
Aut ferrum, egregios inhonoro ſtigmate libros,
Tale nihil meritos, & iniquo vulnere damnans.
Siccine ſævit amor? Quid agant crudelius hoſtes?
Tu monitis inſiſte meis, nec parce labori.
Dum legis, ipſe tuis malis excerpere chartis,
Quæ ventura tuos magis apta putabis in uſus.
Crede mihi, eſt parvi merces non parva laboris.

Altius inſidunt animo defixa tenaci,
12 Quæ ſemel, atque iterum, ſtudio graviore retractas.
Exempla lectionis, & adnotationis aſſiduæ. 12. Artibus his (*a*) Laines, quo non ſapientior alter
Lojolidum fortaſſe fuit, feliciter uſus,
Plurima, cum legeret, calamo properante notabat.
Copia dicenti fuit hinc uberrima, caſus
Qui ſe cumque darent ſubito in diſcrimine. Teſtis
Curia ſacra, virum toties mirata Tridenti,
Collectos Patres quò toto ex orbe vocarat
Relligio, audaci frænum poſitura Luthero.
Nec minus hic noſtræ decus immortale palæſtræ
(*b*) Strada mihi memorandus adeſt, quem Livius annos
Detinuit plures cupidum: quoſcunque legenti
Obtulerant ſparſim miranda volumina flores,
Delegit, tacitèque ſuos traduxit in hortos,
Farneſio cùm ſerta Duci Romana pararet.
Sed noſtras quò priſca trahunt exempla Camœnas?
Roma Quirinali qua tollitur ardua clivo,
Ipſe ſenem Ligurem novi, cui nomen (*c*) Oliva,
Conſilio, pietate gravem: olli ſedula ſemper
Cura fuit, teneris vel cum pubeſceret annis,
Aſſidua verſare manu, quæcunque Priores
Ediderant. Non ille Sophos, non ille Poëtas
Præteriit: Patres quidquid ſcripſere Latini,
Aut Danai, primâ cupidus noviſſe juventâ.
Non illum ſteriles, juvenum mala gaudia, nugæ,
Deliciæque, jocique movebant. Una voluptas
Scire fuit. Solers operoſa ſilentia ſervans,
In-

(*a*) *Pater Jacobus Lainez Præpoſitus Generalis Soc. Jeſu.*
(*b*) *Pater Famianus Strada Societatis Jeſu.*
(*c*) *Pater Joannes Paulus Oliva Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu.*

Digitized by Google

Ingenuas coluit ſtudiis non ſegnibus artes.
His illum curis videt octogeſima meſſis
Defixum, videatque utinam centeſima meſſis.
Ille ergo aſſiduus, dum quæ potiora legenti
Se dederant, memori tradit ſervanda papyro;
Selectis pluſquam centena volumina complet
Floribus. Ergo ſuos retro dum reſpicit annos,
Amplificat vitæ fines, ævique peracti
Dum fruitur ſenior fructu, bis vivere novit.
Talibus exemplis, quæ videris optima, jam nunc
Sedulus excipias: creſcens uberrima rerum
Copia ſcribendi poterit penſare labores,
Et ſenior carpes juvenilis gaudia vitæ.
13. Sed ne te nimiùm ſcribendi cura fatiget; **13 Modus adnotandi.**
Delige, quæ retinenda velis examine certo,
Ut peregrina notes tantum, vulgata relinquas.
Novi ego queis totum placet in compendia librum
Cogere; at ille ſibi tantùm ſelecta reponit.
Aſt ego te geminos malim properare libellos.
Huic, quidquid ſervare paras nullo ordine credas:
Sic totam obtutu pariter luſtraveris uno
Materiem, ſi forte juvet: liber ordinet alter
In titulos digeſta ſuos, ac ritè reponat
Singula, quærentem ne pagina multa moretur.
At grave ſi fuerit tibi ſcribere multa; ſecundi
Margo vices libri ſubeat, deſcriptus & index
A tergo dabit ad nutum tibi cuncta volenti.
Exiguus ſit mole liber, magis aptus ad uſum,
Quemque ſinu ipſe tuo nullo conamine geſtes.
Cuncta notis, utcumque potes, deſcribe minutis,
Non tamen obſcuris, ne mens oculique gravati,
Cum legis, inviſas jubeant deponere chartas.

Hæc ſuper ingenii cultu, ſtudioque legendi,
Mitia cum reducem ſibi plaudunt tempora (*a*) pacem,
Dicebam: rigidos tandem furor impius enſes
Condidit, & Reges felix concordia jungit.
Pax manſura redit: ſibi gaudent reddita Muſæ
Otia, jamque parant meritas pro munere grates.
Magnanimos alii Heroes ad ſidera tollent,
Invictoſque Duces, & prodiga pectora vitæ,
Claraque Apollineis inſcribent nomina faſtis.
Aſt ego regali renovatam fœdere pacem
Carminibus (*b*) dicam, non inferiora ſecutus.
Hanc decet armatis Regum præferre triumphis.

LI.

(*a*) *Pax Neomagi firmata inter Ludovicum XIIII. Regem Galliæ, & Carolum II. Regem Hiſpaniæ.*

(*b*) *Auctor recitavit Carmen in Collegio Romano pro pace inter Reges, & pro connubio Carolum inter II. Hiſpaniæ Regem, & Aloyſiam Borboniam.*

LIBER SECUNDUS.

De methodo ſcribendi.

HActenus ingenii cultus, ſtudiumque legendi
Detinuit juvenem. Ulterius juvat ire: legendum
Grande aliquid forſan Tiro dabit iſte, aliorum
Qui modo ſcripta legit. Tu ſi quid ſcribere curas;
Dux facilem tibi pando viam: quid ſcribere, quantum,
Ordine quo deceat, paucis, adverte, docebo.
1. Ergo age ſume ſtylum, Tiro, quem cura legendi
Laſſavit ſtudioſa diu: ſat nidus inertem
Detinuit volucrem, validæ ſub pectore plumæ
Jam ſurgunt, mediaſque licet volitare per auras.
Semper eris lector tantum? Jam ſcribere fas eſt.
Quid mentem ditaſſe juvat, niſi pectore clauſas
Arcano defundis opes? Sic dives avarus
Eſurit, & miſero pauper ſordeſcit in auro.
Eſſe aliquos novi, quos lectio longa ſuperbos
Efficit: ediſcunt ſelecta Epigrammata, flores
Argutos aliquot libant, ſubitòque Magiſtros
Se jactant, ſummiſque pares: Oracula tanquam
Ex adytis reſponſa dabunt, latrare parati,
Et mordere alios. Vanos compeſcito morſus.
Aut ſi ſcribentem carpis, quod carpere poſſim
Da mihi: ni promas aliquid, ridebere, qualis,
Cum ſine dente minax latratibus ora Moloſſus.

I
Poſt diuturnam lectionem ſcribẽdum eſt aliquid.

Nequidquam laxat, cui malas aut gravis ictus,
Aut ſenium exarmat: ridemus vana furentis
Ignavam rabiem, ſteriles contemnimus iras.
Ergo aliquid ſcribas tandem: mirabile quidquid
Legeris, ipſe tuis felicius inſere chartis.

2. Dura quidem fuerint ſcribenti exordia: ſed tu,
Quò Phœbus, quò fata vocant, non territus ibis.
Muſa reluctatur; quid tum? Cumæa Sibylla
Numinis impatiens, Phœbum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe, diu conatur; at ille rebellem
Infrenat, cogitque ſibi ſervire negantem.
Tu quoque, difficilem primò tibi ſubdito Muſam.
Dextra repugnabit ſegnis, calamuſque reſiſtet;
Perge tamen, vinces: ſcabrâ rubigine ferrum
Sordet iners, longo donec ſplendeſcat ab uſu.
Sic ſtylus inſolitos ducet ſcribendo nitores.
Cur habuit nomen ſemper memorabile Zeuxis?
Nulla dies illi ſine lineâ inutilis ibat.
Sed te ſcribere poſſe negas? Quin ſcribito: fiet
Scribendo, poſſis ut tandem ſcribere. Fiunt,
Qui tractant ſæpe arma manu fabrilia, fabri.
Ardua prima via eſt, et qua vix tendere poſſis,
Quidquid agas. Mercator opes molimine duro
Accumulat primas; facili mox cætera lucro
Congerit. Ipſa diem mundo natura relicto
Lenta refert. Nox tarda præit: rareſcere ſenſim
Incipit umbra minor, dubiamque crepuſcula lucem
Aſpergunt nocti: polus albet: lumina jam jam
Solis adeſſe monens croceos Aurora nitores
Præmittit, donec claro ſe Phæbus ab ortu
Effundat, radiiſque fugaces terreat umbras.
Sic puer, ut primas vitæ devenit ad auras,

2 Initio ſuperanda difficultas ſcribendi.

Ore

Ore ſilet muto, ſolis vagitibus infans
Proludit: rudibus mox eluctata labellis
Verba ſonant, donec tacitè creſcentibus annis
Arcanos facili promat de pectore ſenſus.
Æmulus ille etiam naturæ, ac victor Apelles,
Cum rudis inciperet, turpes minor arte figuras
Ducebat: rigidum pavidus tolerare Magiſtrum
Debuit, & jactos pudibunda per ora colores.
Eridanus patrii naſcens de vertice montis,
Exiguo tenues deducit murmure rivos.
Aſt ubi collectis fluviorum crevit ab undis,
Obruit Inſubres cumulato gurgite campos.
Sic quoque vena minor tibi tempore creſcet, & uſu.
3. Sed tamen ipſe prius ſedato pectore volvas,
Scribere quid malis, ne te malus auferat error.
Grandia quis moveat, niſi cum vocat auctor Apollo,
Quo nihil invito fiat, Muſiſque ſiniſtris?
Icarus inſano nimium ſuper æquora voto
Dum ſe ſe attollit, propiuſque accedere ſignis
Æthereis audet, donat ſua nomina Ponto,
Ceratáſque dolet fluxiſſe improvidus alas.
Delige quid ſcribas: forſan ſunt grandia quædam
Argumenta, tuis non reſponſura lacertis.
Rex Macedum Magnus, ne ſe, niſi magnus Apelles
Pingeret, aut quiſquam vivo ſpirantia in ære,
Præter Lyſippum, ſua fingeret ora, vetabat.
Nec te majeſtas operis ſpecioſa laceſſat.
Quid ſcribas quærit nemo, ſed quomodo. Pictor
Ille ſuos brutis tantum donare colores,
Et ſtabulis audet: Contrarius alter, Olympum
Pingere, Cælicolumque domos, currumque Tonantis
Ambitioſus amat: famâ ſuper æthera notus

3 Serio cogitādū quid ſcribas, ne argumentū majus ſit ſcribentis viribus.

Ille volat; repit, tantum ſibi cognitus, alter,
Sidereos fruſtrà radios imitatus Olympi.

4 Nec declinandum ab argumentis arduis.

4. Non tamen effugias timidè quæcumque videntur
Ardua: materies duro verſanda labore
Ingenii vires acuit, fœcundaque laudum eſt.
Quam rudis eſt adamas, patrio de monte revulſus
Cum venit? Indocilis frangi, ac luctamine multo
Expoliendus erit. Quid tum? Superanda rebellis
Durities lapidis: merces erit ipſe laboris
Magna tui domitus. Cur ſegnis ſectile lignum,
Vel Tiburtini ſubigas tibi viſcera ſaxi?
Hæc pedibus calcanda jacent: ſed lumine fulgens
Difficili, Regnantum adamas in fronte ſuperbit.
Uxorem pumilam Pygmea è ſtirpe creatam
Duxerat Archidamus: thalamos cenſura diremit,
Damnarunt Ephori. Tantilla videlicet uxor
Exiguos olim Patri, Patriæque pudendos
Educat Reges? Sic argumenta ſecutus
Infima, quid poſſit magnum promittere Scriptor?

5 Genius potiſſimũ conſulendus.

5. Ardua ne fugias igitur, majora nec optes
Viribus ipſe tuis. Genium quoque conſule: nam quid
Invitus facies? Quoties ad vela faventes
Non veniunt auræ, fruſtra luctatur, & hæret
Puppis iners. Nunquam portus intrare patentes
Illa queat, donec ventos ſibi captet amicos.
Tu ne aliquid Genium contra temerarius audes?
Ocyus obtineas, ut flumina verſa recurrant
Ad fontis revocata caput: ſuus impetus undas
Devehit in præceps, hominem ſua quemque voluptas.
Noverat hoc Sparte. Pueros cum firmior ætas
Exciperet, quales natura vocaret ad artes,
Cura fuit noviſſe: ſtylum, gladioſque minaces,

Et

Et ſcalprum, & quales miſcet pictura colores,
Exponit ſoboli Genitor. Quam deligit artem,
Ingenio ſuadente puer, formatur ad illam.
Auſpice Natura quid non ſperare licebit?
Socratis hic error fuerat: formare metallum
Cœperat in ſtatuas olim juvenilibus annis;
Sed labor incaſſum cecidit. Melioribus ergo
Auſpiciis, animum Sophiæ deflexit ad artes.
Quique diu fruſtra docuit molleſcere ſaxum,
Nulla mora eſt, hominum lapideſcere corda coëgit,
Virtutis ſtudio. Quid tentas carmina Tulli?
Cur fortunatam cantas, te conſule, Romam?
Parce precor Muſis, animo graviora ſecutus:
Maximus eloquii Princeps ad roſtra tonabis.
Paruit. Interea Pelignis natus aquoſis,
Bella fugit rabioſa Fori, ſubſellia, lites
Devovet, invitum Genitor quò miſerat: illum
Parnaſſus repetit, Genioque interprete, Muſis
Deſtinat. Auditis? Quidquid puerilibus annis
Dicere conatur, carmen ſonat: ille Parenti
Dum ſpondet verſus numquam componere; verſus
Excidit invito: pugnat ſecum ipſe. Camœnis
Quem puerum natura dedit, Pater invidus aufers?
Ergo age, quid ſcribas tecum multò ante voluta,
Quòque vocant auræ faciles, huc dirige curſum.
6. Hæc monitus, rerum ſeriem diſpone: laboris
Pars hæc prima tui: certo ſtent ordine partes.
Ordine cuncta ſuo conſtant, confuſa laborant.
Cernis Apes? Primo cellas molimine condunt,
Diſponũtque domos: primum hoc, quod tempora poſcit
Longa: dein flores, & olentes ſuaviter herbas,
Ut cellas poſſint vacuas diſtendere, quærunt.

6 Materies, ſive, ut dicũt, ſilva rerum ſcribendarũ diſponenda.

Tu

Digitized by Google

Tu quoque, cum certus rerum tibi conſtitit ordo,
Sollicitus circumſpicies, ſilvamque parabis.
Ex nihilo nihil excudas, licet uſque labores:
Hoc Sophus, hoc Rhetor, concordi murmure clamant.
Staſicrates animo vaſtam complectitur urbem,
Quam ſectus formabit Athos, ſcalproque ſubactus.
Pellæi faciem, majeſtatemque Tyranni
Mons referat: dextrâ magnam Rex Maximus urbem
Suſtineat: ſed qui populis alimenta miniſtret,
Nullus ager circum eſt: ſtant cautibus horrida nudis
Omnia. Riſit opus, quod mens inſana parabat,
Cautus Alexander. Sic tu, niſi pabula circum
Des operi, curas animo moliris inanes.
Sedulus ergo pares Silvam: ſic nomine dicunt:
Nec ſine delectu rerum. Vulgaria quidam
Accumulant temerè, qui, tamquam ſuccina, viles
Feſtucas, paleaſque trahunt, pretioſa relinquunt.

7 Ante ſcribendum, implorandum eſt præſidiũ Deiparæ V.

7. Hæc ubi præſtiteris, Silvamque paraveris aptam,
Aggrediaris opus, Phœbo, Muſiſque ſecundis.
Quid Phœbum, Muſaſque loquor? Ter Maxima Virgo
Arbitra ſcribendi præſit: quodcumque movebis,
Illius auſpiciis moveas: hanc poplite curvo,
Et prece ſollicites, aliquid cum pangere tentas.
Scribenti ante oculos numquam non adſit imago
Virginis, ut credas præſentem audire Magiſtram.
Quin opus ad calcem poſtquam devenerit; olli
Vectigal ſolvas: ferat hoc Regina tributum.
Si facis, obſequii veniet tibi maxima merces,
Nec referes tantùm perituræ frondis honorem,
Vel tibi plaudentis popularem murmuris auram,
Sed Superûm referes plauſus, & Matris amores.
Heu mihi, quid ſtudiis juvat impalleſcere, vitam

Quid

Quid minuiſſe brevem? Niſi merces ampla laboris
Sit Deus, & Mater; ſtudio laſſamur inani.
Eſte procul lauri, ſteriles procul ite camænæ.
Noverat hoc ſcriptor, fama ſuper æthera notus,
Naturæ interpres (*a*) Kirker: in vertice (*b*) montis,
Tiburis Herculeas qui deſpicit arduus arces,
Virgineæ Matri renovavit nobile templum,
Collectis opibus, quà ſe inter cornua Cervi
Euſtachio quondam pendens de ſtipite Numen
Objecit, juſſitque ſequi ſua ſigna, nec ultra
Ficto thura Jovi, ſed vero adolere Tonanti.
Fortunate ſenex, qui vel poſt funera, vivis
Matris ad obſequium: morientis nobile votum
Hoc fuit, avulſum cor aperto è pectore, templò
Virginis æterni ut pignus penderet amoris.
Vota valent: habuit munus ter amabile Virgo.
Ante tamen calamum Matris ſuſpendit ad aras
Divinæ emeritum: quidquid ſcripſiſſet, eidem
Rettulit acceptum: deſcripſit ſanguine chartam
Ipſe ſuo, divæ memorantem dona Parentis.
Talibus exemplis, noſcat ſtudioſa juventus,
Auſpice quà poſſit multum didiciſſe: Magiſtram
Conſule Divinam, puro ſed pectore, Matrem.
Si facis, ò quantâ diteſcet Pallade pectus!
8. Sunt ritus aliis alii. Calamo properante 8 Modus ſcribendi diverſus.
Concitus hic ſcribit: quod ſe prius obtulit ultro
Exarat, ex magno demum ſumpturus acervo,
Quod magis arridet, lentus cum ſcripta retractat.
Hunc, ubi mens caluit, labor eſt retinere volantem.
Dextra

(*a*) *Pater Athanaſius KirKer Societatis Jeſu.*
(*b*) *Vulgo dicitur.* La Montorella.

Dextra licet properet, mens eſt velocior: olli
Se plura obiiciunt, liceat quam ſcribere: denſat
Confuſas adeo mens irrequieta figuras,
Ut vix agnoſcat, cum ſcripta relegerit, Auctor.
Aſt alios lento videas incedere greſſu,
Nil malè digeſtum fidis deponere chartis,
Quod ſcripſere ſemel, numquam delere paratos.
Tu facias utcumque libet: Sententia primas
Fac tibi depoſcat curas, animoque ſagaci
Quid dicas, mox qua dicas ratione voluta.
Inſiſtunt alii rebus, contemnere voces
Se jactant; alii tantum de voce laborant.
Vocibus, ac rebus geminas tu divide curas.

9 Forma ſcribendi aptanda eſt argumento.

9. Hìc mihi, dicendi placeat quæ forma, requires.
Fuſius hæc alias; breviter nunc accipe. Rebus
Quas agitat ſervire ſtylum decet. Alta moventi
Aſſurgat: ſi res tenuis tractanda; prematur,
Ne ſeſe attollat faſtu importunus inani.
Aſpicis ut varias adhibent ſpectacula ſcenas,
Vicinum celsâ quà ſurgit mole Theatrum
Nobilium Juvenum, (*a*) *pomis qui nomina ſervant?*
Aurea regales imitatur ſcena triumphos,
Aſt humilem poſcit Comœdia: Fabulâ in unâ
Diverſæ occurrunt facies: nunc ſilva vireſcit,
Nunc mare ſe tumidum tollit, mox aula ſuperbit.
Sic tibi dicendi formam variare licebit.
Tullius hanc ſervat legem: cum ſcribit amico;
Temperat ipſe ſibi multum: majora ſecutus,
Naturamque Deum, mundique arcana recludit;
Officiiſque modum, numeroſque imponit Honeſto?
Ma-

(*a*) *Inſigne Seminarii Romani.*

Majori ſermone ſonat. Toto impete Verrem
Invadit: mox te Patriæ, Catilina, minantem,
Et ſcelus Antoni validis clamoribus urget.
Nec Maro diſſimilis; gracili contentus avenâ
Paſtorum memorat luſus: cum tradit agreſtes
Ruricolis leges; creſcit, ſic poſtulat ordo:
Altior inde tubis canit arma, virumque ſonoris.
Hìc quoque non unus. Drances, & Turnus eodem
Non ſonat eloquio: diverſo carmine Niſum
Exhibet, & patriis Polyphemon montibus æquum.
Talibus exemplis rebus ſervire docemur.
At neque ſic plauſum indocti ſectabere vulgi,
Immemor ut Latii veteris, malè turgidus ultro
Ire velis, ut grandeſcas. Sectare nitorem
Qualis erat Romæ, quondam melioribus annis,
Auguſtus domitum poſtquam pacaverat orbem.
O pudor! o ſæclo quantum diſtamus ab illo,
Cui candor ſimplex, & non fucata venuſtas!
Quis furor? ingenuam fumo corrumpere lucem?
Nunc vilis nitor eſt: ſordes (quis credat?) amamus.
10. Has ubi ſcribendi leges ſervaveris; alter 10 *Quæ ſcripta ſunt, corrigenda.*
Exoritur graviorque labos, ut ſcripta retractans
Ad trutinam longo revoces examine. Mentis
Ut calor intepuit primus, quæ nuper amabas,
Oderis, & ſubitos forſan damnabis amores.
Sol maculas habet ipſe ſuas, quas judice vitro
(*a*) Etruſcus damnat Sapiens, trepidantibus aſtris.
Ne tardus videare times? Citò ſcripſeris illud,
Quod benè. Virgilius fingebat nobile carmen
Urſino, ut perhibent, ritu: partum ille recentem
Sol-

(*a*) *Galileus de Galileis.*

Sollicitus lambens iterumque, iterumque fôvebat.
Unica lux fluxit, vaſtum dum conderet orbem
Rerum opifex: molem ingentem cum ſedulus ornat;
Quinos iſſe dies legimus, dum ſidera Cœlo,
Dum flores campis diſponit, & æquore piſces.
Sic opus ipſe tuum lentus formare memento.
Fila lyræ quò plus fuerint diſtenta, reſultant
Dulciùs, intendunt ſua per tormenta canorem.
Plinius ut fœtus animi formaret, adeſſe
Fingebat coram, quaſi jam recitaret, Amicos
Emunctæ naris: ſolers cenſura notabat
Singula: Virgilius recitantem carmine judex,
Tullius orantem ficto terrore premebat.
Euripides geminos verſus vix cuderat; & jam
Fuderat Alceſtes centum, lentumque Poëtam
Damnabat, demens! Properatum ignobile carmen
Vix natum periit; viget, æternumque vigebit
Arte laboratum. Dedit hanc natura creandis
Fœtibus eximiis legem, ut conamine longo
Indigeant, creſcantque diu; viliſſima rerum
Sponte ſuâ veniant faciles emiſſa per auras.

11 De nimio corrigendi ſtudio.

11. Cum tamen emendas, nimium cohibere rigorem
Eſt opus, ut limam tractet Prudentia. Quoſdam
Vana ſuperſtitio prorſus tenet. Omnia damnant,
Cum relegunt, nihil eſt, quod non expungere malint.
Penelopes ritu quidquid fecêre retexunt.
Ut meliùs ſcribas, nil tandem ſcribere, ſtultum eſt.
Si nimis attenuas ferrum; non enſis acutus;
Nullus erit: miles pugnabis inermis in hoſtem.

12 Scripta ſubiiciantur aliorum judicio.

12. Aſt ubi ſcripta rigor prudens limaverit; unum
Id ſupereſt, veteris ſunt ſubiiciienda ſodalis
Judicio, fibras penitus qui noverit artis.

Dum patrius te fallit amor, librabit amicus
Omnia, ſincerus judex: transfiget acuto
Degeneres obelo verſus, ne durus in illos
Sæviat auditor, non exorabilis ultor.
Parcimus (heu nimium) nobis, & dulcia mentis
Pignora crudeli nimium pietate fovemus.
Non aliter Genitrix quodvis damnabile nati
Excuſat vitium. Sit frigidus ille; modeſtus
Eſt Matri. Petulans fuerit; mirabitur acre
Ingenium Pueri, factumque ad grandia dicet.
Quin decus agnoſcit deformi in corpore: luſco
Dat plauſum: Puer hic quondam metuendus in armis
Annibal alter erit. Dorſo creſcente gravatum
Jurat Alexandrum fore. Sic tu crimina mentis
Excuſas, laudaſque tuæ. Si geſſerit alter
Cenſuram, ſecurus abi. Defendere crimen
Quod notat ille, cave: magni ſit Apollinis inſtar.
Omnia ſi laudat, ſi nil reprehendit Amicus;
Si ſapis hunc timeas. Sed te monitoribus aſprum
Forſitan ille timet. Dionyſius arſit in iras
Efferus, & fato vatem damnavit iniquo,
Qui tragicos Regis verſus damnaverat: illum
Saxorum juſſit ſub mole perire Tyrannus.
Non ita tu faxis: tibi qui non parcit, Amicum
Dilige, quo fieri melior ſub Judice poſſis.
Cenſorem cur tardus adis? Mihi veſpere ſero
Cur affers, primo recitanda Poëmata mane?
Fors tibi laudator, non judex quæritur? Ergo
Quod juvat, hoc faciam: multum laudatus abibis,
Non melior: quis enim nolentem damnet Amicum?
Ergo cenſorem fidum citò quære: nec uni
Subiicias tua ſcripta velim, ſed pluribus. Ille

Gramaticus, voces tantum conſideret; alter
Inſpiciat numerum Rhetor, translata, figuras,
Lumina; ſed rerum prudens momenta volutet
Aut Sophus, aut ſenior jam ſummus in àrte Magiſter.

13 Cave ab oſtentatione eorum, quæ ſcripſiſti.

13. Scripta ille oſtendit, poſtquam recitavit: Amicos
Conſulit ad ſpeciem. Laudum ſibi gaudia captat
Scilicet; at meritos referet pro laude cachinnos.
Si ſapis, id caveas, & cum recitaveris, umbris
Commendes tua ſcripta, novem, pluresque per annos.
Aſpice purpureâ rubicundum luce lapillum.
Hic Siculo donec latuit ſub gurgite, vilis
Alga fuit: patriis ubi primùm emergit ab undis
Coralium eſt: ſubito cœpit clareſcere, ſumit
Duritiem, gemmaſque novo fulgore laceſſit.
At ſecus in ſcriptis: quæ non vulgata placebant,
Ut lucem videre, ſuas amittere laudes
Paulatim incipiunt: vitium quod fugerat aures,
Non potuit rigidos oculos latuiſſe legentum:
Et quæ gemma fuit, nunc eſt ignobile vitrum.

14 Cavendum quoque a nimia facilitate vulgādi operis.

14. Nec te gloriolæ titillet vana cupido,
Ut facile tua ſcripta velis impreſſa: quod ambis
Non referes (mihi crede) decus. Neglecta jacebunt
In tenebris, tandem tineis data pabula, olivis
Aut toga, vel piperi. Librum damnabit ineptum
Bibliopola diu expoſitum: ludibria vulgi,
Venalis ſemper, ſed nunquam venditus hæret.
Tu bonus interea miſeris conatibus inſtas,
Emptores operi dum queris: inania vota!
Quod ſupereſt unum chartas donabis ineptas,
Si tamen invenias qui munus inutile curet.
Accipe, rem narro veram. Sua nomina famæ
Ut daret Orator, populo quos dixerat olim.

Ser-

Digitized by Google

Sermones prælo commiſit, & ipſe ſodali
Ocyus impreſſos defert. Hic forte Draconem
Neſcio quem chartis Puerorum farcit in uſus.
Scilicet opportunus ades: nam pagina cœptum
Deſtituebat opus, dixit: nec plura, volumen
Arripit, implendoque jubet ſervire Draconi.
Has retulit bonus ille ſuo pro codice laudes.
Hoc dixiſſe ſat eſt: habeo quæ plurima poſſem
Dicere, ſed, ſatyram videar ne ſcribere, parco.
Talibus exemplis moderatius ire docemur.
Experiare prius popularis murmura famæ,
Partẽ aliquã exponens operis, quod promere mens eſt.
Navita ſic ventos exploraturus, aperto
Quid moveant pelago ſurgentia flamina, veli
Parte aliqua cautus tentat: ſi noverit auras
Aſpirare ſibi, & facilem promittere curſum,
Littoribus ſolvit patriis: ſin forte minaces
Delibat ventos, portu ſubſiſtit amico.
15. Si recitare cupis, quæ ſcripſeris, annuo; curam
Sed res haud facilem poſcit. Tenet actio primas
Palladis in Regno partes, tenet illa ſecundas,
Illa omnes. Doctæ quem mirabantur Athenæ;
Orator mihi teſtis adeſt: cum pulpita primùm
Attigit, ut cenſum fando repararet avitum,
Vulgares retulit riſus, inconditus Actor.
Aſt ubi compoſito moderari corpora motu,
Legibus & certis vocem verſare, manuſque
Edoctus rediit, toto plaudente Theatro
Excipitur: vix ipſe novos, vix credit honores
Attonitus, plauſu nec ſeſe agnoſcit in illo.
Novi ego (proh nimium!) quantum recitantibus obſtet
Vox rudis, aut geſtus: quæ dixeris omnia languent,

15 De actionis cura, ſi recitandum ſit.

Singula vileſcunt: ſpectat laquearia feſſus
Auditor, mæſto confeſſus tædia vultu.
Ille ego ſum, fateor, novi. Nihil amplius addam.

LI-

Digitized by Google

LIBER TERTIUS:

De Imitatione .

SI quis Apollineæ decus immortale Palæſtræ
Admiratus amat, ſimiliſque cupidinæ palmæ
Tangitur, huc adſit: Summi Genitrice Tonantis
Auſpice, quæ noſtras Virgo regit una camœnas,
Difficilem pueris imitandi tradimus artem.

1. Parnaſſum metire oculis; juga docta ſubire 1 Imitandum.
Aſpicies nullum, cui clarus in arte Magiſter
Ignotum non monſtret iter, ſacroſque receſſus.
Hoc vidit natura parens, cum ductile nobis
Ingenium dedit, atque imitari ſponte paratum.
Vivere vix infans cœpit, jam diſcere gaudet.
Quod videt aſſimilat: voces nutricis ab ore
Accipit, ac reddit: ſi voces illa Latinas
Tradiderit, voces dabit ocyus ille Latinas:
Si Tuſcas, Tuſco ſimiles ſermone reponit.
Ubere divulſus, fieri quod viderit uſquam,
Ille ſimul, ſtudiis inſtans levioribus urget.
Ædificare domos jam geſtit, pingere, pugnas
Inſtruere, atque aras pueriles tollere Divis.
Aſt ubi conſilium, vireſque accepit ab annis,
Extemplo varias artes, imitamina tractat
Naturæ: fingit ſpirantia molliter æra,
Et pictâ vivos imitatur imagine vultus.
Muſicus argutas volucres modulamine cantûs

Aſſequitur, vel geſta ducum, pugnaſque cruentas;
Arma viroſque canens, imitatur carmine: caſus
Vel tragicos Regum reddit majore cothurno:
Quod ſi non imitatur; amat ſpectare quod alter
Artibus effingit variis, ac totus in illo eſt,
Artificumque manus laudat miratus, & hæret.

2 Imitandi ſunt Auctores optimi.

2. Ergo age, naturamque ſequens, imitare: Magiſtros
Præcipuos imitare tamen. Philomela, Penates
Extincti ad tumulum ſibi quæ conſtruxerat Orphei,
(Si qua fides) magis arguto modulamine ſilvas,
Ætheraque implebat, ceu ſpiritus inde canoras
Exiliens animaret aves, nemorumque doceret
Sirenem, vivens ſua vel poſt funera, Cycnus.
Hoc tibi contingat, veterum monumenta virorum
Si prope conſiſtas, patiens audire ſilentes.
Hinc hauſtæ rerum ſpecies ſub pectore, fœtam
Scribentis gravidant mentem, ſimileſque loquenti
Paulatim pariunt ſenſus: ſpectacula rerum
Si Mater paritura videt pulcherrima; prolem
Formoſam pariet: fœdas removete figuras,
Ne trahat informem ſoboles ab imagine vultum,
Et male fœcundam Genitricem terreat infans.

Hæc agitans animo, meliores conſule: nam ſi
Te mala tranverſum rapiant exempla, labori
Indulges miſero: quo plus procedis, aberras
Longius, & neſcis: veluti cum viſere geſtis
Mœnia, flammivomo nimium vicina Veſevo
Parthenopes; de Flaminiæ ſi limine (*a*) portæ
Inſtituas iter, optata magis Urbe recedis;
Quò magis acceleras fallaci tramite curſum.

Ar-

(*a*) *Urbis Romæ Porta, illi contraria quà itur Neapolim.*

Ardua ſed nimium meliora exempla timorem
Incutiunt: depone metum, nec comprime greſſus.
Non dabitur forſan Ductorem æquare ſequendo,
Sed tamen aſſurges ipſo te major in auras.
Si non aſſequeris, vel ſic tentaſſe juvabit.
Solis amans Clitie, numen dum ſpectat amicum
Curribus invectum rapidis, cum gurgite ab Indo
Littus ad Heſperium celeri vertigine fertur,
Ipſa hæret radice ſolo, ſed fronde comanti
Inſequitur ſolem, ſeſe convertit ad illum
Uſque ſequax, parvoque imitatur grandia gyro.
3. At furem ne forte putes, qui ſcripta priorum — 3 Imitatio nō eſt furtum.
Aſſimilare ſtudet; modò ne prudentia deſit,
Calliditas ſtudioſa placet, laudabile furtum eſt.
Arguitur Vates Italus ſpoliaſſe Poetas
Antiquos Latii: firmo ſed pectore crimen
Ille negat; Domini accedant, quos crimine læſos
Dicitis eſſe meo: videant mea carmina, quidquid
Eſſe ſuum norint repetant: Cornicula plumis
Quas malè congeſſi meritò nudata recedam.
Conſilium placuit: vates Divinus Apollo
Convocat ad cœtum. Tardus remorante ſenecta
Ennius acceſſit tandem, ſeditque, Senatus
Caſtalii magnum decus, & vox prima, Camœnis
Sic placitum. Annoſi carmen venerabile vatis
Corroſere avidi mures, ſolatia damni
Exigua ingentis tantùm fragmenta ſuperſunt,
Exuviæ tenues: ſed enim veneranda ſenectus
Regnat adhuc, primoſque ſeni defendit honores.
Proximus huic meritis Lucretius adſtat, & annis,
Sorte ſuâ felix: rudis ætas carmina docti
Vatis adoravit, pergunt celebrare Nepotes,

Quem proavis placuiſſe ſciunt: laudate Poëtam
Scilicet eximium, ſed ne quis præferat illum
Vatibus egregiis, quos altera protulit ætas.
Hunc prope Virgilius reſidet, qui vertice toto
Scriptores Latii veteres ſuper arduus extat.
Creditis hoc? Credunt omnes, vel credere fingunt:
Virgilium laudant: ſed cur diverſa ſequuntur?
Invitè laudant aliqui, damnare parati,
Si veros animi liceat depromere ſenſus.
O vos damnandos, damnato Principe vatum.
Hunc infra ſedere alii, quos ordine certo
Explicat aula capax. Scriptor ſua carmina cœtum
Projecit reus in medium: mora nulla, repoſcant
Quæ norint ſibi rapta. Legunt, releguntque, nec ullum
Apparet furtum. Dominos bene provida fallit
Calliditas furis: tanta tegit arte rapinam,
Ut ſua jam poſſit, quamvis aliena, vocare.
Hos plauſus imitator habet, cum ſedulus ornat
Quod rapuit, raptumque novis fulgoribus auget.
Quis furti accuſet concham, quæ mane recenti
Ebibit exiguam cum roris ab æthere guttam,
Educat in gemmam, patrioque oſtentat Olympo?
Quis fontes damnet, Cœlo quos Tuſcula Tempe
Attollunt? Undam vicino ex monte cadentem
Excipiunt urnæ; ſed lymphas nobile marmor,
Non quales habuit, reddit: jaculatur in altum
Ignavas nuper, varioſque evolvit in uſus.
Unda tubas ſimulat, nimboſque, & grandinis imbres;
Centauros animat, torvoſque canora Cyclopas,
Et geminat muſis dignos, & Apolline cantus.

4
In fures, qui expilant aliorum ſcripta.

4. Quam ſecus indecores animæ, quas vivere rapto,
Ac prædas cumulare juvat, ſine lege rapaces

Par-

Parnaſſi Harpyias: quæ non finxere, volabunt
Ad mella audaces fuci, conſumere nati
Sedula quidquid Apis longo molimine finxit.
Quod ſi forte dolos cenſoris virga notavit;
Excuſat furtum ingenii concordia: poſſunt
Scriptores gemini, ſub eodem ſidere nati,
Æquales, ſimiles, & eoſdem fundere fœtus.
Ut geminas cytharas cum temperat arte magiſtra
Ingenioſa manus, ſi tangitur altera; nullo
Concutiente ſtatim ſimiles dabit altera voces.
Tantus cognatis amor & concordia nervis.
Falleris: ipſa tibi dicet tua Pagina: Fur es.
Vive tuo Juvenis, tranquillo ut pectore poſſis
Dicere ſecurus; Mea ſunt quæ carmina canto.
Clara domus Ligures inter penetralibus altis
Excipit Auſtriaci Reginam ſanguinis: auro
Omnia ſcintillant latè, cultuque ſuperbo.
Hoſpitis Auguſtæ credit gens aulica, ſtirpis
Collectas totius opes, atque Urbis, in unam
Confluxiſſe domum: ſed enim ditiſſimus (*a*) Heros,
Garrula ne gliſcant popularis murmura famæ,
Talibus occurrit dictis, quæ ſcripta diſertis
Expoſuit viſenda notis in limine primo.
Non aliena vides: Domini hæc ſunt curta ſupellex.
    Ergo imitare alios, at non ſpoliare memento.
Eſto Apis: hæc flores libat, violaſque, roſaſque,
Lilia cum calthis, & olentes molliter herbas;
At nihil aſportat ſecum. Sed Virgo, corollas
Floribux ex variis ut fingat, munera veris,
Et Floræ populatur opes, quas ordine certo

Col-

(*a*) *Princeps de Auria.*

Colligit in nodum, ſertiſque recentibus aptat.
Non ita tu facias: flores cum cernis in hortis
Pieridum, ſimiles fingas. Accendere tædam
Ex face vicina cum vis, num ſurripis ignem?
Accendis ſimilem, ſed non furaris eundem.

5 Imitatio ſit prudens, non temeraria.

5. Hæc tibi ſit prudens imitandi regula: verùm
Omnia non imitanda putent ſibi protinus omnes.
Quo ruis imprudens? Tu grandia cœpta puſillus,
Tantulus aggrederis? Debet ludibria vulgo,
Qui vires ſupra aſſurgit temerarius: audi.
Simiolis plenas ſilvas venator in altas
Se confert: ocreas, circum ſpectante popello,
Cruribus inducit, mox in nemoroſa recedit
Luſtra, alias ſpargens ocreas, quas ante tenaci
Interius viſco explevit. Mora nulla: pererrat
Simia multa nemus, pedibuſque aptare relictas
Accelerat pelles: ſed enim venator ab antris
Improviſus adeſt, viſcoque, metuque retentos
Aggreditur nemorum ſcurras, prædàque potitur.
Sic imitatores tandem ſuus implicat error,
Cum majora, ſuis nec reſpondentia votis
Audaces nimium tentant. Ne fabula fias,
Quæ valeas exempla ſequi, tecum ante voluta.

6 Imitatio nō ſiſtat in vocibus, ſed ſententias potiſſimū ſpectet.

6. Aſt ubi quem poſſis imitari elegeris, illi
Te ſimilem penitus res, ac ſententia fingat,
Nec tantùm verbis præeuntem imitare magiſtrum.
Hic ſe Virgilium jactat, ſi carmina verbis
Illius accumulans, dicat ſerviliter audax,
Conticuere omnes. Feſſus procumbit humi bos.
Infelix Patroclus, fruſtra mentitus Achillem
Invadit pugnam, curruque invectus, amici
Loricam induitur, gladium, galeamque comantem.

Non

Digitized by Google

Non tamen Hectoreo poterit par eſſe lacerto:
Nam manus Æacidæ pugnanti, ac robora deſunt.
Tu quoque, ſi primam docto in certamine palmam
Affectas, rebus Ciceronem redde, Maronis
Nec tantum voces, & verba ſonantia captes,
Mente carens veluti Parnaſſi in rupibus Echo.
Statius hic alter ſibi creditur eſſe, Tonanti
Progeniem formidatam, Æacidemque ferocem
Si tumidis reſonans buccis, verſuque furenti,
Audaci potuit ſubſellia frangere cantu:
Aut ſibi Lucani jam jam depoſcit honores,
Bracteolis carmen fictis ubi ſparſerit, urnam,
Qua Magnus caruit, ſi compenſavit Olympo,
Argutus nimium, nec lumina vera ſecutus.
Semivirum ſi forte Bovem, juveniliter inquit,
Semibovemque virum, jam ſe Naſonis alumnum
Prædicat, ac ſimili ſe jurat Apolline plenum.
O furor! ò faſtus! Quantum ò nos fallimus ipſi?
Cortice contenti primo, penetrare medullas
Artis negligimus, vel deteriora ſequentes,
Quod ſolum excuſant veteres, miràmur in illis.
Non ita Divinus vates: imitatus Homerum,
Dum cautus potiora legit, fugienda relinquit,
Rettulit in melius præclari inventa Magiſtri.
Plurima prætereo ſtudio brevitatis, ab uno
Omnia coniicias. Ajacem Græcus Aſello
Comparat (invictum ignavo), qui ſtipite dorſum
Contuſus duro, vix paſcua linquit, & inter-
Verbera diffugiens lentus, gratiſſima carpit
Gramina: ſic preſſus telis hoſtilibus Ajax,
Et fugit, & pugnat, fugienſque aſſurgit in hoſtem.
Non tulit hanc ſpeciem vates Romanus: inerti
Sub-

Subſtituit pecori clarum feritate Leonem.
Huic Turnum aſſimilat, cedentem, & ſæva frementem,
Dardanios contra inſtantes: emendat Homerum
Scilicet, illuſtrat, gaudetque docere docentem.

7 **Imitatio aſſurgat aliquando ad æmulationē.**

7. Nos etiam antiquis aliquid ſuperaddere fas eſt,
Si quem fata vocant, faciliſque adſpirat Apollo.
Quis finem ingenio ſtatuat, cui ſumma novandi
Libertas conceſſa fuit? Quis compede claudit
Imperio natos animos ſervire coactos?
Alcides nautis metas defixerat, undas
Ne Gaditanas violarent remige, ſcripſit.
Mortales huc uſque licet: deſiſtite: feſſus
Hìc ſtetit Alcides. Has vidit nauta columnas
Plurimus, ac timidus retrò ſua carbaſa flexit.
Non ita, non Ligurum (a) Tiphis: feliciter audax,
Eſſe ſuum credens quidquid natura creaſſet,
Herculeas Italo contempſit pectore metas.
Sic decet: audendum eſt: imitantem nobilis ardor
Deferat antiquos ultra: viciſſe Magiſtros
Forſitan & poterit, qui vincere poſſe putabit.
Tu modo, tu faſtis memorabile nomen Etruſcis
Teſtis ades, Bonarota: fidem mihi maximus auctor
Tu facias. Faciet: paucis advertite mentem.

8 **Exemplum æmulationis in Michaele Angelo Bonarota, qui Architectos antiquos ſecutus, tandem aſſecutus eſt, ac ſuperavit.**

8. Viderat intentam ſtudiis gravioribus Artem,
Et nova ſecum animo meditantem, annoſa Vetuſtas
Miratrix animoſa Sui, faſtuque ſuperbo,
Ut ſolet, aſſurgens nimium, nil tale merentem
Aggreditur dictis. Curas quid voluis inanes
Mentis inops? Abſiſte novos tentare labores.
Maxima feciſti quondam; nunc priſtina ceſſit

Vis

(a) *Chriſtophorus Columbus.*

Vis animo. Quamvis ſileantur cætera; centum,
Quæ tibi Romanam ſurgebant templa per Urbem,
Nunc ubi ſunt? Triſtem dudum traxere ruinam.
Qualia ſed fuerint ſcimus: nam fama ſuperſtes
Clamat, & indoctis inſultat garrula ſæclis,
Degeneremque ſuis clamoribus increpat artem.
Præterea, veteris miracula prædicat Urbis,
Pantheon Auguſtum: quanto ſe tollit in auras
Fornice? Romanas quo culmine deſpicit ædes?
Et quamvis fulvo non ardet, ut ante, metallo,
Ærataſque trabes meliores vertit in uſus,
Prodigio tamen eſt, majeſtatemque tuetur.
I nunc, & viles animo meditare labores.
Talibus Ars dictis ſubitas exarſit in iras,
Corripuit pudibunda fugam, curſuque citato,
Te Bonarota, petit, quo non præſtantior illa
Tempeſtate fuit, vivos de marmore vultus
Ducere, peniculo mutos animare colores,
Artificique manu celſas educere moles.

Atque illum grandes agitantem pectore curas
Ars lacrimis perfuſa rogat. Mea fama, meumque
Grande decus, venio ſupplex: ventoſa Vetuſtas
Me premit, ac faſtu deſpectam calcat iniquo,
Vilis, iners dicor, decorumque oblita priorum,
Degener, ac demens. Hæc tu niſi dicta refellas,
Qui potes, occidimus: te nixa recumbit in uno
Spes mea; tu facias, quod non Romana Vetuſtas
Extuderit, quod cogatur laudare vel hoſtis
Invida, vixque putent fieri potuiſſe nepotes.
Tolle animos: aliis tantum eſt imitanda Vetuſtas,
At ſuperanda tibi. Præeuntes namque magiſtros
Dũ ſequeris, numquã aſſequeris: laus parva ſequendi eſt.

An-

Antiquos imitaris adhuc, cum vincere poſſis?
Æmulus eſſe potes, victor potes eſſe, quid hæres?
9 9. Olli ſubridens opifex clariſſimus, ore
Subjecit placido. Populi convicia dudum
Senſimus, & piget injuſtas tolerare querelas.
Quod nihil antiquis addat, quam vivimus ætas,
Error hic eſt vulgi: nuper ſum fraudibus uſus,
Pulſus ut excideret deceptis mentibus error.
Ipſe domi occultus Pario de marmore Amoris
Effigiem finxi, tacita dein nocte locavi
Rure ſuburbano: cæcis latet illa ſub antris
Clauſa diu, donec ſignum effodere Coloni,
Vomere dum renovant ſpargendis frugibus agros.
Continuo Dominam ſimulacrum fertur ad Urbem:
Creditur Auctoris priſci labor inclitus. Ille
Praxiteli tribuebat opus, dabat hic Polycleto.
Roma frequens operi plaudit, miratur, adorat.
Nec ſatis; inſultat mihi vulgus: Reſpice, quales
Artifices ætas fæcunda creabat Avorum.
Quàm Puero nativus honor? Quæ gratia vultu?
Quàm ſimiles veris artus? Spirantia cernis
Omnia: ſi voces non deſint, attamen illas
Deeſſe negant oculi: jam jam puer ora reſolvit.
Nunc opus exactum quis poſſit fingere? Sordent
Omnia quæ facimus, collata prioribus annis.
Hìc ego ſub ſtatuæ pedibus mea nomina, tectis
Scripta notis, retego: quid apertius? Ora notavit
Victa pudor: puerum nolint laudaſſe, ſed illis
Non datur emiſſas voces revocare: tenentur.
Et tamen eſt, noſtris priſcos qui præferat annos?

At Dea, Nil actum eſt (inquit). Ludibria vulgi,
Et ſannas toleramus adhuc: animoſa Vetuſtas

Artificium quò Bonarota decepit admiratores nonniſi operum antiquorum.

Pan-

Pantheon objectat: clamat, nil tale recenti
Arte laboratum Romæ: quas tollimus ædes
Deſpicit, ac vaſta ſibi plaudens Mole ſuperbit.
10. Grande opus eſt, mirum, tunc excipit ille, fatemur; 10
Et quo ſe merito Patrum laudaverit ætas.
Sed molem templi immanem ſi Roma jacentem
Miratur, cum fulcit humus; ſi nobile templum
Tellure avulſum, nubes ſuper ire jubebo;
Illud erit Romæ magis admirabile monſtrum,
Credo equidem, & victam ſe priſca fatebitur ætas.
Si Vaticanum ſimili teſtudine Templum
Protego; Roma tholum videat, ſtupeatque rotundum
Eductum tellure ſuper, cæloque receptum,
Qualem (*a*) Flora videt Tuſci prope fluminis undas.
Dixerat, & notas animum converſus ad artes,
Mirandum deſignat opus, Romana Vetuſtas
Quod velit eſſe ſuum, nequeat quod carpere livor.
Ille quidem ſenior mirandam attollere Cælo
Non potuit molem; Mors invida grandibus auſis
Obſtitit: at leges operis, formamque relinquens,
Extinctus quamvis, potuit docuiſſe nepotes,
Et naturæ ultra fines extendere vitam.
Grande opus abſolvit, ſua vel poſt fata ſuperſtes.
Victa ſilent tandem veteris præconia famæ.
Vicimus antiquæ miracula, vicimus artis,
Vicimus, ingeminat Tiberis vocalibus undis,
Et plauſum reddit ſeptem de collibus Echo.
Talibus exemplis, Pubes Romana, vetuſtos
Evolvens Pindi Proceres imitare: ſed illos
Nonnullis æquare datum eſt: quos Pallas amavit,
Queis

Bonarota tholum Vaticanum attollens, Pantheon antiquum æmulatur, ac ſuperat.

(*a*) *Tholum in Æde maxima Florentiæ.*

Queis melior fervet circum præcordia ſanguis;
Altiùs aſſurgant animis, & numine fauſto
Non pigeat, natas ad ſumma, attollere mentes.
Forſitan antiquos vincent, niſi cedere malint:
Quod ſi non vincant, vel contendiſſe decorum eſt.
Inſtar erit Palmæ, palmam voluiſſe mereri.

LI-

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

Styli virtutes quædam, & vitia.

NUnc age, ſcribendi poſtremo in carmine leges
Tradimus, ut noris, quæ ſit lectiſſima fandi
Forma, quibus vitiis cures procul eſſe, vetuſtum
Quò tibi concilies, nec miſtum labe nitorem.
1. Sit labor hic primus ſcribenti, ut ſcripta receptas
Ne violent Latii leges. Cui ſermo latinus — 1 Locutio ſit latina.
Non conſtat, patrio potiùs ſermone loquatur?
Quis furor eſt, linguâ, quam non benè noveris, uti?
Nec te Romulidum credas tamen ore locutum,
Si tantùm voces expenderis: inſpice vocum
Structuram: teneas, qualem felicibus annis
Illuſtres tenuere viri, meliora ſecuti.
Non tamen abſtineas voces adhibere recentes
Addictùs nimium antiquis, aut nomina rerum
Propria, quas genuit natura recentibus annis,
Aut retegit noſtris, priſcis non cognita ſæclis.
Sit docile ingenium, ſed non ſervile: recuſas
Impoſuiſſe novis rebus nova nomina? Chriſtum
Dicere, vel Petrum refugis? Cicerone vel ipſo
Judice, vel Flacco id licuit, ſemperque licebit.
Sedulus antiquum dicendi imitare nitorem,
Quo ſine nil ſcribas, poſt te quod vivere poſſit.
Quæ ſcribis recitata placent; num lecta placebunt?
Vox, oculi, geſtus, recitandi audacia, & illud

Dicere quod nolo, faciles deceperit aures.
At non decipies oculos (mihi crede) legentum:
Et tibi, qui reſonat plauſus, cum voce peribit,
Ut perit auditis moriens cum vocibus Echo.
Quis pudor? In Latio ſi legibus ipſe latinis
Vel rudis ignoras, vel ſegnis negligis uti,
Nominis Italici, Dominæque infamia Romæ?
Hoc Romæ obiiciunt, tacito nec murmure, gentes
Trans Alpes poſitæ, quod ſit corrupta loquendi
Forma vetus: Latium Latio nunc quæris in ipſo
Nec tamen invenias. Vera hæc infamia? Falſam
Non reor omnino, nec veram: exempla tenemus
Virtutum, vitiorum illuſtria: maxima Romæ
Omnia, nil parvum magna ſpectamus in Urbe.

2 Sit Latina, etiam in iis qui ſuperiores diſciplinas tractāt, quantum fieri poteſt.

2. Seria ſed tractas, & ſacra, & grandia. Quid tum?
Grandia Græcorum Patres ſcripſere; ſed illi
Delectant, pariterque docent: Chryſoſtomus auro,
Gregoriuſque fluunt. Venia indulgenda Latinis,
Si minus excultis fuerint ſermonibus uſi;
Horrida Barbaries cum latè infecerat Urbes
Imperii occiduas, Phœbo, muſiſque fugatis.
At nunc Barbaricas voces quæ cauſa tenendi?
Barbaries rediviva ſcholas cur inficit? Ut ſit
Prodigium, ſi quis naturæ arcana, probatis
Vocibus exponat, vel ſummi effata Tonantis.
Res indigna! Loqui cur ipſa ſcientia neſcit?
At pugnas. Quid tum? Pugnare nitentibus armis
Non licet? Ornatus pugnabat Cæſare miles
Sub Duce; num fortis minus extitit? Horret in armis,
Et fulget, pulcher viſu, pariterque timendus.
Sic Plato facundus pugnat, ſic alter ab illo
Pugnat Ariſtoteles, ambo fulgentibus armis

Erro-

Errorumque acies, vitiorumque agmina vincunt.
At Sophiæ pugnis ut detur libera fandi
Copia; cur Rhetor leges violare latini
Audeat eloquii? Sit lex, & norma loquendi.
3. Nec tantùm hoc Scriptor ſtudeat: ſententia primas
Occupet ingenii curas: quid dicere malit
Exquirat, mox qua dicat ratione laboret.
Invenies plures, qui verba ſonantia captent,
Nempe meras vocum frondes, & inutile murmur.
Ægypti ſacras quis non irriſerit ædes?
Miraris quanta ſe tollunt mole? Sed intus
Numina quæ cernis? Crocodilos, allia, cæpas,
Simiolos. Quoties dum vaſta volumina verſas,
Nil videas unquam pulchrum, aut mirabile dictu.
Aſpice caſtaneas, ſilvarum ignobile munus,
Quot foliis natura tegit, quot pellibus armat?
Has ubi recludas, & non ſine ſanguine, quantum eſt
Quod reperis, vel quale, vide. Sub cortice denſo
Verborum ſic ſæpe latet, quod ſpernere poſſis.
Scribendi genus elutum vitare memento:
Dicendi quis enim fructus? Quæ gloria? Linguam
Murmure magniloquo, jactas te noſſe latinam.
Gratulor, aſſurgo, admiror: tamen excute laudem
Hanc totam. Quid grande tenes? Quod ſcilicet unam
Non neſcis linguam: tibi ſi ſententia deſit,
Dignum aliquid ſcitu includens, contemneris: Inſit
Grande aliquid dictis, ut, ſi ſermone loquaris
Aut Ligure, aut Calabro; te poſſim audire libenter.
4. Non tamen elutum credat, nec dixerit ullus
Scribendi genus antiquum, grave, grande, ſeverum,
Quodque argutiolas videatur ſpernere. Flores
Hos Pueri celebrant, fateor, mirantur, & optant,

3 Magis tamen laborandum de ſententia, quã de vocibus.

4 Forma dicendi ſit gravis, non fucata vanis argutiolis.

Quiqne ſenes vitiis onerant puerilibus annos,
Canitiemque ſacram turpi levitate profanant.
Hi tantum ignorant, (Fabio vos credite) quantum
Decepti ſe ſcire putant. Superaddere fucum
Cur juvat, atque leves nugas? Ubi cauta ſenectus
Purgarit mentem (tibi ſi purgaverit unquam)
Te pudeat, ſed ſero, Tui. Dixiſſe negabis
Talia, ſed contra tua ſtabit pagina teſtis.
Quod ſi forte placent, tibi quæ placuere, recuſas
Te juvenem damnare; Puer nunc eſſe probaris,
Et centum Puer annorum quandoque futurus.
Quidni turpe putes falſos ambire colores,
Ut veris careas? Veſtes quas comicus Actor
Induit, indueres? Vitreo fulgore coruſcant
Uſque adeo, ut vincant gemmarum, aurique nitorem?
Sed tamen hoc vitreo ſplendore recentior ætas
Gaudet, & argutum niſi quid produxeris, odit.
Novi equidem, doleoque; recens tamen, atque vetuſtum
Hoc vitium eſt: fuit hæc vulgò veſana voluptas
Semper, ut ad leviora ruat, graviora relinquat.
Te raris placuiſſe juvet, tenuique popello
Turpe puta placuiſſe nimis. Cum diceret olim
Inclitus eloquio Orator, ſibi murmura vulgi
Plaudere ubi ſenſit, doluit, ſubitoque timore
Perculſus, rogat ad ſtantem propè: Num quid ineptum
Excidit incauto, cano nec Rhetore dignum,
Quod meruit populi laudantis peſſima laudem?
5 **Exemplum gravitatis in Virgilio.** 5. Sit tibi Virgilius ductor, qui pectore nugas
Excluſit docto, fruſtraque tumeſcere neſcit.
Maximus ingenio vates, & maximus idem
Judicio. Argutos flores, queis nobile carmen
Spargeret, ignoraſſe putas? Contempſit, & ultro
Rep-

Reppulit indignans. Potuiſſet Trojus Heros
Oceano in Libyco, puppes agitantibus Auſtris,
Dicere, quæ Cæſar tot poſt volventibus annis
Dixit in Adriaco: ſed ſummus in arte Magiſter.
Æneam volvit, naturæ vocibus uſum,
Dicere, quæ, veris premitur cum fluctibus Heros
Fortis, & infelix, ficto haud ſermone, profatur,
Non quæ declamat ſecurâ Rhetor in umbrâ,
Pulchra quidem, ſpecioſa, nimis tamen abſona veris.

6. Naturam aſſimilant artes. Cur ego Poëſis 6 Dicendi genus ſit ſolidum, ac naturale.
Diſſona naturæ, cur & pugnantia dicat?
Turgida cur nimium, vel portentoſa loquatur,
Sobrius, aut ſanus nullus quæ diceret unquam?
Hectoris extincti lacrymantem in funere Matrem
Ut Polus exhibeat celeberrimus arte Tragædus,
Ipſe ſui cineres nati concluſit in urnâ,
Quem Lacheſis rapuit nuper florentibus annis.
Sic venit in ſcenam triſtis, veraſque querelas
Attulit, infelicem Hecubam quibus exhibet: artem
Ingenio natura ſuo ſimulavit, & artis
Plus habuit, cum nil habuit. Gratiſſimus error
Decipit adſtantes: nam cum ſimulare dolorem
Creditur, indoluit verè: mendacia vera,
Sinceros mirare dolos: non rettulit unquam
Majores caveæ plauſus clariſſimus actor.
Sic tibi conſimiles laudes ſperare licebit,
Si te naturæ penitus formaris ad uſum.

Si nimis ingenio tribuas, ditiſſima cudes
Carmina, credo equidem, ſed non & pulchra. Notavit
Sic Helenam inſulſi quondam Pictoris Apelles,
Quam circumfuſo pretioſam effinxerat auro,
Formoſam cum non potuiſſet reddere. Gentes

Barbaricæ crebro fodicant ſibi vulnere vultum,
Pro cute reſciſsâ gemmas, aurumque reponunt,
Et formæ ſtudio properant corrumpere formam.
Tu quoque cum nimiis tua ſcripta coloribus ornas;
Nativas amittis opes, verumque nitorem.
Finxit Alexandri Lyſippus in ære figuram;
Hanc Nero crudelis ſtulto circumtegit auro.
Conſilium demens: non auro bellica Regis
Pectora, belligero ſed ſunt imitanda metallo.
Sic pretium pretio ſimulacrum amiſit, & ipſo,
Cum pravè ſuper induitur, ſordeſcit ab auro.
Sic quoque nonnulli divina Poëmata fædant
Virgilii. Herois faciem mirantur ab illo
Arte laboratam totâ: tamen inſuper addunt
Neſcio quas dum bracteolas, maculaſque nitentes;
Corrumpunt ſummi decus admirabile Vatis,
Ut ſi quis violas, & lilia pingeret auro.
7 Temperandum ingenio, & luminibus ingenioſis. 7. Id fuge: veſanum prudens cenſura furorem
Comprimat ingenii, ne proruat impete cæco,
Naturæ fines ultra, legeſque Priorum.
Sis, licet, argutus, ſed non juveniliter audax.
Corripuit Senecam Fabius, quòd mentis acumen
Neſcierit cohibere ſuæ: felicior eſſet
Ille, ſuo ingenio ſi ſcriberet, & tamen idem
Judicio alterius ſeſe committere mallet.
Sed tibi lux animi tanta eſt, ut lumina paſſim
Occurrant; moderare tamen: ſint ordine certo
Sparſa; velut ſtellas tacita ſub nocte micantes
Explicat, at raro diſtinctas agmine, cælum.
Adde, quod æthereo Titan cum ſplendet Olympo
Aſtrorum non ille faces admittit: ab uno
Sole dies fulget melius, quàm ſidere noctes

Mul-

Multiplici niteant. Supplent tot ſidera Phæbum,
Non tamen exæquant unum tot ſidera Phæbum.
Sic etiam, quamvis argutâ luce, minutis
Irradies veluti ſtellis tua carmina; lumen
Virgilii nunquam, nunquam ſuperabis Homeri.
Nox eris, & referent ſemper tua lumina noctem.
Ut melius videas nimio ſub lumine, ſtringes
Partem oculi, lucem excludens: admiſeris illam,
Quæ ſatis eſt. Animi ſimilis moderatio lucem
Temperet immodicam, melius quò ſcribere poſſis.
Lumina delectant, & mentis acumina plauſum
Conciliant; magis ergo magis cumulata placebunt?
Æſopi Gallina tibi fors excidit? Illam
Nulla dies ſterilem vidit, quin ederet ovum,
Nulla dies fluxit: lucri ſuccenſus amore,
Hanc magis ut Dominus fæcundam redderet, auxit
Pabula: ſed Gallina tumens, nimiàque ſaginâ
Pinguior, effœtâ ſenſim nihil edidit alvo,
Spem Domini vanam, ſolito plus paſta, fefellit.
Fabellam audiſti: caveas, ne fabula fias.
Hoc igitur ſtudeas, ne mollis forma loquendi
Et juvenile decus tibi ſit: ſua gratia dictis
Eſt etiam gravibus. Domino regique ferarum
Horrida ſit quamvis ſpecies, ac torva; Leonem,
Si crinali auro, gemmiſque nitentibus ornas,
Deformas. Crine impexo, rictuque minaci
Et placet, & terret: terror placet, horror amatur.
8. Nec minus id vitium eſt, ſi forte poetica dicat 8
Orator. Vitium grave, ſed commune, quod ipſos Orator caveat ne poeticè loquatur;
Dedeceat Pueros, hæret quandoque Magiſtris. Poeta, ne oratoriè.
Nec verbis contra utatur, formàque loquendi
Quæ proſam ſapiunt, qui ſcribit carmina. Certos

Artibus aſſignat Phœbus cum Pallade fines,
Quos violare nefas. Artem malè cautus utramque
Qui temerè miſcet, neſcire fatetur utramque.

9 Vitanda obſcuritas loquendi.

9. Ne te tranſverſum rapiat tam dira cupido,
Ut ſponte obſcurus doctâ caligine fias.
A tenebris famam captas, & lumina? Vulgus
Indoctum ſtupeat, quæ non intelligit; at qui
Vel primo Muſas novit de limine, ridet
Scriptorem ignarum, qui ſe infelicibus umbris
Occulit, ut lateant vitiatæ crimina mentis.
Cur, tu quæ memoras, ego non intelligo? Flaccum,
Virgilium, Ciceronem, alioſque intelligo, quamvis
Ardua magniloquo promant ex pectore. Crimen
Ergo tuum eſt, qui te nec forte intelligis ipſum.
Interdum Auditor tenebras habet ipſe, fatemur.
Olli cum mentis caligent lumina; dicit
Obſcurum quidquid non percipit, inſcius artis.
Hoc fuerat Vetulæ vitium: graviore ſenectâ
Cæca anus, & demens famulos accuſat, & odit,
Claudere quod properent mediâ vel luce feneſtras.
Ille autem ſurdus, veluti ſermonis avaros
Accuſat comites: ſubmiſsâ voce locutos
Conqueritur, vitiumque ſuum bonus imputat illis.

10 Et multo magis obſcænitas.

10. Sed quorſum leviora ſequor? Majora docebo.
Huc aurem Juvenis, totamque advertito mentem.
Sit pudor innocuus ſcribenti, obſcæna recuſans
Dicere, proſtituat ne quis caſtiſſima, Muſas,
Numina, Virgineas & amantes lilia Muſas.
Maximus Orator patrias moderatus Athenas,
Quod gerit incluſum calamo, bibit ipſe venenum.
Tu tibi mortiferos ſuccos, aliiſque propinas
Obſcænus ſcriptor: quæ toxica continet anguis

Non

Non illi noceant; tu non medicabile virus
In tua damna foves, omni angue nocentior anguis,
Atque aliis auram lethalem peſtifer afflas.
Obſeſſæ fontes urbis ferus inficit hoſtis.
Muſarum rivos, tu libros inficis: undas
Inde venenatas totam diffundis in Urbem,
Proditor ò Patriæ, laſcivi carminis auctor.
At niſi libertas vati datur, atque facultas
Maxima, quid ſcribam Muſis, & Apolline dignum?
Ergo nihil ſcripſit Muſis, & Apolline dignum,
Judice te, caſtus Divinæ Æneidos auctor?
Statius ergo nihil, nihil & Lucanus? Ab illis,
Atque aliis centum poteras didiciſſe pudorem.
O ſcelus Italiæ! Caſtas coluere Latini
Scriptores Muſas, quamvis deceperat illos
Vana ſuperſtitio; cur nos pudet eſſe pudicos,
Quos pia relligio ritu meliore ſacravit?
Vix ullum invenias, qui non moduletur Adonin,
Et Venerem: miſcere audent divina profanis,
Nec tamen excuſant crimen ſic miſta, ſed augent.
Allicit incautos ſpecies infida Puellos,
Ut legere incipiant, mox cuncta evolvere pergunt.
Parcite Romani juvenes, queis cura pudoris,
Carminis Italici libros attingere: mores
Inficiunt plerumque pios, obſcœna popinant
Mentibus, & vos à ſtudiis gravioribus arcent.
Si tamen Etruſco modulari carmina metro
Eſt animus; Romæ veteres evolvite vates.
Mox ubi vos matura viros formaverit ætas,
Tunc legite Italicos: vanus vos decipit error,
Si Tuſcis operam Muſis datis, ante Latinas.

Non ita (*a*) Torquatus: legit quæcumque Pelaſgi,
Romani aut ſcripſere, ſuos dein vertit in uſus.
Mos fuit idem aliis, quos jactat Etruſca Poëſis.
Aſt ubi Pierius vos ſcribere compulit ardor,
Scribite quæ Vates deceant, quos vera Tonantis
Erudiit pietas, ſacroque adſcripſit Olympo.
Parcite Numinibus cultum renovare profanis,
Parcite degeneres formas retinere loquendi,
Ne ſit opus veſtris ſubſcribere verſibus: Auctor
Eſt pius in Superos, licet impia multa locutus:
Et malè quæ loquitur, diſcors eſt pagina vitæ.
Ceu rudis orbe novo quondam pictura, figuris
Addebat nomen pictis: Taurus, Canis, Arbor.
Tantum diſtabant veris imitamina Veri.

II Tractentur Sacra, & Divina.

II. Aſt alios Divina pudet tractare: Poëtam
Illudent, qui ſacra pio deſcribere verſu
Audeat: Angelicas mentes memorare, Tonantis
Virgineam aut Matrem, vitium puerile vocabunt.
Non ita Grajugeni Vates fecere, Quirites
Non ita, ſed patrios, mendacia Numina, Divos
Obtrudunt paſſim, nullum eſt ſine Numine carmen.
Si Trojam oppugnat Vulcanus; Apollo tuetur:
Æneæ Venus alma favet, dum Juno furores
Exerit in profugum, terris infenſa, marique.
Scilicet hic primus, meliorque eſt carminis uſus,
Ut Superos, homineſque inter commercia jungat.
Hoc niſi tu facias; deliria, ſomnia, cantas,
Inviſus Superis, quorum meminiſſe recuſas.
Quod ſi plura tuum vivat poſt ſæcula carmen;
Ethni-

(*a*) *Torquatus Taſſus*.

Ethnicus an fueris, poterunt dubitare nepotes,
Inficietque tuam gravis hæc infamia famam.
12 Sed nos hora monet jam finẽ imponere:ſummũ hoc 12 Studendum brevitati.
Et primum tibi ſit monitum: Brevis eſſe labora,
Quo ſine non placeas unquam: pulcherrima quamvis
Dixeris, auditor læſâ brevitate dolebit.
Cætera non meminit, ſordeſcunt omnia. *Longum eſt*,
Exclamat. Manet hoc unum ſub mente repoſtum,
Porticibus totis ſonat hæc vox unica, *Longum*.
Ergo ſtylum cohibe: dicendi at copia dives
Ingenium teſtatur (ais), quod gurgite torrens
Effuſo ripas, inviſaque clauſtra revellit.
Falleris; ingenio minor es, qui cogere in arctum
Grandia non poſſis, rebus ſervire coactus.
Aſt ego cum ſcripſi, quid tollam neſcio. Scriptis
Scilicet ipſe tuis nihil eſt quod demere poſſis,
Qui totidem gemmas, quot voces fuderis? O te
Felicem, cui ſponte fluit tam gemmea vena.
Sed patrius te fallit amor (ſunt pignora mentis
Scripta tuæ) video: tenerum nimis excute Patrem.
Si Patrem excutias, damnabis plurima Judex.
13. Aſt aliqui preſſo quamvis ſermone loquantur, 13 Nec repetẽda pluries eadem.
Se tamen hac fraudant brevitatis laude. Bis unum,
Ac ter idem repetunt, mira dulcedine lambunt
Quod dixere ſemel: quo crimine turpius ullum
Vix reperire queas, dignum aut majore cachinno.
Clarus Anicerides palmis auriga, Platonis
Ut caperet plauſum, quâ ſylva virentibus umbris
Dulcia defendit gravioribus otia Muſis,
Invehitur curru: rapidis velocior auris
Circinat axe viam celeri: levis orbita circum
Quod primò ſignavit iter, premit actus in orbem
Auri-

Auriga, inſiſtens decies: ſemel iſſe putares,
Nec toties rapidas circum duxiſſe quadrigas.
Plaudere ſpectantum vulgus, præponere Phœbo
Audet Aniceridem, & Solis damnare jugales.
Sed Plato laudantes inter ſilet unus, & artis
Prodigium vanæ ſapienti pectore damnat.
Quid Plato, quid faciat, ſi nunc audiverit illos,
Qui repetunt eadem toties, quos forte negaret
Poſſe audire ſemel ſummi mens docta Magiſtri?

14 Progrediendum ſẽper.

14. Procedas igitur ſemper: cur æquore ſiſtis
In medio? Propelle ratem. Carthaginis altæ
Virgilius pandit ſubitò ſpectantibus arces.
Apparet Juno, Venus, Æolus, ipſe Deorum
Arbiter, Interpres Divum, Regina, Cupido:
Cætera quid memorem? Tibi plus liber obtulit unus,
Alterius monſtrent quàm longa poëmata Vatis.
Addere quod poſſis nihil eſt; quod demere poſſis
Eſt nihil. Alcidæ clavam ante extorſeris, unum
Quàm poſſis verſum ſummo extorquere Maroni.

15 Refecentur aliqua ſtudio brevitatis.

15. Sic tibi verborum ſit parcior uſus, & uno
Magnanimus reſeces ictu quæcumque videbis
Ultra præſcripti menſuram temporis ire.
An dubitas? Sic eſt: ubi quid detraxeris, illud
Carminis eſſe tui meliorem credito partem.
Si nimis indulges tibi, ſi truncare recuſas;
Quod ſupereſt totum auditor contemnit, & odit.
Ne partem amittas, furor eſt amittere totum.
Hoc magis ut fixum memori ſub pectore condas,
Poſtremum hiſtoricâ tibi monſtrat imagine carmen.

16 In cæde Theſſalonicenſi, Genitor, dum u-

16 Sanguine dum placat Theodoſi Cæſaris iras
Theſſalonica, graves nimium, nec Principe dignas
Romano; geminos cædes teterrima fratres

In-

Involvit, quos uno olim lætiſſima partu
Ediderat Mater: formæ concordia Matrem
Decipit, ut natos inter vix noſcere poſſit
Ipſa ſuos, fallitque Patrem dulciſſimus error.
Barbarus inſtabat niveis cervicibus enſis,
Et propè libratus collo deſcenderat ictus.
Vidit, & exclamans cum luctiſono ululatu
Per medios Pater irrumpit, ſubitoque tumultu
Detinuit jam jam ferientis vulnera dextræ,
Injecitque moram letho: nam plura locutus
Facundus genitoris amor, lacrymiſque perorans,
Vix tandem obtinuit, geminos ne barbarus ultor
Interimat pariter: Ferro cadat unus, & unus
Vivat adhuc, oro: prædam Patrem inter, & hoſtem
Sic diviſit amor. Miles pietate Parentis
Perculſus, dextram tenuit, mox talia fatur.
Sit Patris arbitrium; malis quem vivere, vivat:
Sic placet. Ancipiti ſecum jam pectore verſat,
Quem genitor puerum ſervet, quem deſtinet hoſti.
Inter utrumque ſenex æquum ſe dividit, ambos
Luminibus dubiis iterumque, iterumque tuetur.
Hunc illi tacitus confert: Genitoris utrumque
Poſcit amor, neutrumque finit permittere morti.
Huic modò, nunc illi parcit: quem damnat, eundem
Abſolvit. Pereatne (inquit) me judice proles,
Et qui fons vitæ fueram, ſim mortis origo?
Sum Judex, ſic fata jubent; abſolvimus ambos:
Ambo carent culpa. Lictor tamen efferus inſtat,
Alterutrumque ſibi poſcit: ſævire neceſſe eſt.
Quem damnas? Decerne Pater: diſcrimina cernis
Nulla duos inter. Par ætas, gratia vultûs
Eſt eadem, ſimilique eadem ſub corpore virtus.

[margin: trumque filium ſervare ſtudet, utrumque amitti.]

Cur

Cur Pater immeritæ ponam diſcrimina mortis?
Diſtrahor huc, illuc ſtudia in contraria pectus.
Nunc volo, nunc renuo: mihi vos ſine crimine veſtro,
Vos mihi (quis credat?) laceratis viſcera nati,
Quos amo, crudeli quos jam jam voce trucido.
Ergo ſile, natoſque Pater damnare recuſa.
Aſt ambo pereant. Abſit. Tu Dorile vives,
Nec Patris arbitrio, ſed fratris munere vives,
Quem fera mors rapiet. Quid ego hæc? Mea gaudia Niſus
Intereat? Vivet. Nam cur te vivere nolim,
Chare puer? Meus es: vives pulcherrime, vives.
Tu moriare igitur, tu, Dorile, colla cruento
Supponas gladio: tibi ſint ſolatia mortis,
Quòd tua fraternam ſervas per funera vitam.
Vivere ſed Niſus per fata aliena recuſat,
Et velit immiti potius ſuccumbere ferro.
Jam nova concordes agitat diſcordia mentes,
Quòd neuter fratri malit ſupereſſe perempto.
In ferrum ambo ruunt, affectant vulnera fratres.
Ipſe ego quid faciam? Cum funere merſus acerbo
Filius occiderit, vivam? Solatia luctùs
Alter erit, poteritque tuos lenire dolores.
Falleris: obiiciet fratrem, quem perfidus hoſti
Obtuleris quondam: monumentum triſte furoris
Uſque tui cernes in prole ſuperſtite: vivet
Fixa tuis animis ſceleratæ injuria cædis,
Fixa tuis oculis pueri morientis imago.
At quid agam; novi: (meliorem ſydera mentem
Immittunt) natum rapiat ne barbarus enſis;
Occurrat genitor. Petit unum ad vulnera pectus?
Hoc habeat: rigidas qui Cæſaris expleat iras,
Et mihi ſanguis ineſt venis: mea vulnera ſunto.

Vi-

Vivite vos Pueri, queis flos pulcherrimus ævi
Ridet adhuc, calidoque ſalit ſub pectore ſanguis,
Vivite vos: ætas tumulo præcedere Patrem
Invitat, prohibetque ſequi. Si vivitis ambo;
Vita mihi geminata manet: mea viſcera, nati
Vivite. Si patrio trahitis de funere vitam;
Quos genui quondam, rurſus genuiſſe juvabit.
Hæc tacito ſenior dum volvit pectore, lictor
Impatiens perferre moras, ante ora Parentis,
Quid ſit amor, quid ſit pietas ignarus, utrumque
Corripiens Puerum, duro præcordia ferro
Tranſadigit. Simili morientes voce vocabant,
O Pater, ò ſuccurre meo, Pater, ò citò Fratri:
Quippe Sui immemores ambo pro fratre rogabant.
Quis tibi tunc fuerit Genitor triſtiſſime ſenſus?
Quis dolor? Infelix! geminis ignoſcere natis
Scilicet illud erat, geminos opponere morti.
Quid faceres odio, prolem ſi perdis amando?
17. Audiſtis? Puerum Genitor dum ſervat utrumque, 17 Simile quid accidit prolixè ſcribentibus.
Tradit utrumque neci. Noſtræ ſunt pignora mentis,
Sunt animi proles, quæ ſcribimus: omnia ſi quis
Vult retinere, nihil ſtudio brevitatis omittens;
Nil retinet, dicitque minus, cum plurima dicit.
Amittas aliquid, niſi vis amittere totum.

EPIGRAMMATA.

De Chriſto nato.

CUr Deus, æthereo venit delapſus Olympo?
Aurea cur Superûm tecta reliquit? Amat.
Suſtinuit cur longa novem faſtidia menſes,
Virginis intactæ Pectore clauſus? Amat.
Cur jacet in ſtabulo nudus? Cur plorat, & alget
Frigore? Cur Puerum faſcia vincit? amat.
Qui regit imperiis orbem, cur ſervit amori?
Cur amat? In promptu eſt cauſa: ut ametur, amat.

Divus Joannes Baptiſta cur in utero materno ſaliens?

ATtigit ut Virgo parituræ limen Eliſæ,
Geſtiit in Matris ventre, ſalitque Puer.
Dic age, cur ſaliat. Culpæ ſibi conſcius Infans,
Judicis adventu territus, anne timet?
Vincula mox culpæ noſcens laxata, repentè
Proſilit, ut ſaltu vincla ſoluta probet?
An ſubito egreſſus naturæ limina, ſaltu
Tranſvolat ad fines, Gratia Dia, tuos?
Prodromus an Chriſto jam nunc præcurrere geſtit,
Quàque licet, greſſus accelerare juvat?

An tentat ſaltu prodire parentis ab alvo,
Dum cupit in gremio Virginis eſſe puer?
Parve puer, tibi ſunt vitæ primordia ſaltus.
Saltus origo tuæ ſic quoque mortis erit.

Prodigium D. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in funere.

MAgdala funereo reſidet tumulanda pherètro,
Qua vitreis urbem dividit Arnus aquis.
Exanimes artus Divæ veneratur Ephebus,
Cui Cyprio impurum pectus ab igne flagrat.
Avertit vultum, quamvis exangue cadáver,
Nec tulit obtutus Virgo pudica reos.
Virgineos potuit ſi linquere ſpiritus artus,
Linquere non potuit Virginitatis amor.
Aſpice, Virginei miracula rara pudoris,
Cujus in extinctâ Virgine vivit amor.
Scire piget, qualis viventem cura pudoris
Tangeret: extinctam ſit mihi noſſe ſatis.
Exclamare juvat. Vivit poſt funera Virgo,
At Juvenis mortem mortuus ante ſuam eſt.

Ruſticus in flammas ſe coniicit, ut Eucharistiam ab incendio ſervet.

RUſticus ardentes ſeſe jaculatur in ignes,
Extrahat ut clauſum panis in orbe Deum.
Quæ majora putas miracula? Scœvola dextram;
Ruſticus an flammis dum ſua membra dedit?

Sci-

Scilicet ille manum, totum ſe hic devovet igni:
Romulidas ſervat Mutius, iſte Deum.

Codrus pro Patria non timidus mori, Chriſtus pro genere humano.

FAta monent, doctæ perituram Palladis urbem,
Rex niſi pro Patria, victus amore cadat.
Codrus ad hæc humeros tectus vulgaribus armis,
Regem diſſimulans in ſua fata ruit.
Impiger in medios moriturus devolat hoſtes,
Et ciet infenſas in ſua damna manus.
Obtinet ignotus pulchram per vulnera mortem:
Attica libertas Rege cadente ſtetit.
Hoſtibus invitis moritur, mortemque fefellit,
Et potuit ſpoliis fallere fata ſuis.
Haud aliter patrio delapſum Numen Olympo,
Ut pereat, voluit diſſimulare Deum.
Ille ſuo noſtram reparavit funere vitam.
Certè hominum tanti nec genus omne fuit.
Diſſimile hoc unum: Patriæ dedit ille ſalutem:
Totus ab hoc vitæ munera Mundus habet.

Eucharistia Cibus Fortium.

RUpe ſub Æmonia Chironis alumnus Achilles
Crudeles epulas, exta Leonis, habet.
Nil igitur mirum ſi fortis pugnat in hoſtem:
Sumpſerat à valido robora tanta cibo.
Sic Leo nos Judæ confirmat ad arma: medullis
Chriſtiadas paſcit ſemper, alitque ſuis.

Puer extinctæ Parentis lacte nutritur: Homines Chriſti ſanguine.

TErra repentinis agitata tremoribus, Urbem
 Concutit, evertit Templa, Teatra, Domos.
Has inter clades, patriæ ſupereſſe cadenti
 Infantem innocuum fata benigna jubent.
Saxorum ſub mole jacens, ex ubere matris
 Extinctæ, vitæ munus habere poteſt.
Fortunate Puer, gemino tibi munere mater
 Illa fuit: vitam, quâ caret ipſa, dedit.
Fruſtra illi vitæ ſtamen libitina recidit,
 Nam Matris, vel poſt funera, vivit amor.
Me quoque divino Chriſtus dum ſanguine lactat;
 Extinctus, vitæ dat mihi dona, Pater.

In Divam Luciam immobilem.

LUcia, Sicelides inter pulcherrima Nymphas,
 Ad Veneris turpes jam rapienda lares,
Fixa ſolo, cautes veluti Marpeſia perſtat,
 Et validos ſiſtit Virgo trahenda Boves.
Tu vires ne deeſſe putes ad pondera Tauris:
 Eſt, cur non rapiant, cauſa pudoris amor.
Juppiter Europen olim per cœrula vexit,
 Raptorem Tauro diſſimulante Deum.
Nunc Siculam Tauri renuunt raptare Puellam;
 Ut meritis purgent crimina priſca novis.

Fi-

Filius naufragus ſupra Patris cadaver ad littus defertur: Homines per Chriſti mortem ad ſalutem enavigant.

DUm ſecat æquoreos Genitor cum pignore fluctus,
Mergitur inſanis cymba ſubacta Notis.
Obruitur Ponto Senior, natuſque ſuperſtes
Naufragii tabulam membra Parentis habet.
Hæc ſuper incolumis felici ad littora curſu
Enatat, & credit vix ſupereſſe ſibi.
Bis genuit Natum Genitor, terrâque, marique;
Morte ſua felix, & pereundo parit.
Sic quoque pœnarum demergitur æquore Chriſtus;
Naufragio ſervat nos tamen ille ſuo.

In Petrum negantem.

NOſſe negat Chriſtum Petrus. Quid verius? Illum
Ignorat, quiſquis deſeruiſſe poteſt.
Qui datus eſt Orbi recti, verique Magiſter,
Vel cum mentitur, dicere falſa nequit.

Poſt Bacchanalia dies Cinerum.

JAm ſatis obſcenis arſerunt ignibus urbes,
Cum traherent fœdos Orgia feſta dies.

Ignis erant ludus, choreæ, ſpectacula, ſcenæ,
Involvens flammis inſcia corda ſuis.
Deſine mirari, quod Bacchanalia mœſtos
In cineres abeant: ſcilicet ignis erant.
Hoc tamen eſt mirum, quod tot poſt crimina, tandem
Deſinat in cineres flamma nefanda pios.

Beatus Aloyſius Gonzaga ab igne illæſus.

CUm placidum Gonzaga daret per membra ſoporē,
Purpureos cingit flamma repente toros.
Nec tamen audaci Juvenis vexatur ab igne,
Flámmaque virgineos lambit amica ſinus.
Veſtales Virgo cuſtos vigilabat ad ignes,
Nunc contra cuſtos Virginis ignis erit.
Flamma ubi luſtratrix crimen luſtrabile nullum
Invenit, attonito protinus igne ſtetit.
Arſiſſet credo Juvenis: ſed flamma receſſit
Territa, Virgineas pertimuitque nives.
Ut nivibus flammas ſocialibus Ætna maritat;
Gonzagæ ſervat ſic pia flamma fidem.
Mitigat ardores ut Sol in Virgine; ponit
Sic quoque flamma ſuos Virginis ante nives.
Flamma comas lambens Regnum portendit Julo;
Gonzaga ætherei Principis omen habet.

Ar-

Arborum de Chriſti Cruce certamen.

Dicite, qua fuerit deciſus ab arbore truncus,
Supplicium Chriſto qui dedit, atque Crucem.
Pacificæ ramus merito dicetur Olivæ,
Qui ſuperis homines conciliare poteſt?
Palma ne Romanis jam dudum aſſueta triumphis
Jure triumphanti dat ſua ligna Duci?
Vel, quia perpetuos Cedrus frondeſcit in annos,
Debuit æternum ſuſtinuiſſe Deum?
Seu potius, Veneri quòd ſit gratiſſima Mirtus,
Suſpicer hanc ſævi funeris eſſe ream?
An, ſolitæ Quercus Oracula ferre, Magiſtro
Cæleſti Cathedram compoſuere ſuam?
Incertum eſt: noſtræ latet arbor cauſa ſalutis,
Sic quoque, quæ fuerat mortis origo, latet.

Alleluja vulnere Cantoris Sacri interruptum.

Dum canit ad feſtas redivivi Numinis aras,
Dulcia Mileti funera Cantor habet.
Barbarus adducto telum jaculatur ab arcu,
Vocis & alatà cuſpide claudit iter.
Interrupta ſacræ ne credas gaudia vocis;
Carmen apud ſuperos continuare juvat.
Argutum terris invidit Olympus Olorem,
Additaque æthereis vox fuit illa Choris.

De Divini Spiritûs Adventu poſt Chriſtum ad Cælos, interpoſita micanti nube, ſublatum.

SCindere crudelis, nimis invida, ſcindere nubes.
  O nimium Votis inſidioſa meis.
Cur mihi, ſidereis dum fertur in aſtra quadrigis,
  Clara triumphantis Numinis ora negas?
Scinditur en tandem nubes, pia vota ſecundat,
  Et ſciſſa, ignito deſuper imbre pluit.
Plaudite: Cælicolis æterno fœdere jungit
  Mortales iterum non violanda fides.
Obſes utrimque datur pacem qui firmet. Olympo
  Terra dedit Jeſum, Spiritus inde datur.

Chriſtus Menſe Martio moritur.

MEnſis erat Martis, cum diro ſtipite fixum,
  Pro nobis Numen funera ſæva tulit.
Et merito Menſem, renovant quo Prælia Reges,
  Eligit, ut Chriſtus cum ſtyge bella gerat.
Mutetur Menſi nomen. Poſt fata Tonantis,
  Cum Superis homines fædera pacis habent.
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.
  Qui referat Cælum menſis, Aprilis erit.

De

De incerta Divini funeris die.

SAcra dies Veneri Divinâ cæde madeſcit.
Fœda Venus, Natum Virginis ipſa necas.
Atque utinam contenta uno ſit funere: funus
Criminibus gaudet multiplicare novis.
Cur tamen eſt incerta dies, quæ funus acerbum
Vidit, & ambiguum fama reliquit opus?
Ut pietas anceps luctum diſpenſet in omnes,
Forſitan hæc, (dicens) forſitan illa fuit.
Spargitur in plures gemitus: par eſſe dolori
Non potuit tanto ſcilicet una dies.

Chriſtus ad columnam.

CAucaſea pendet religatus rupe Prometheus:
Sic luit ablatas Solis ab axe faces.
Tu quoque marmorea religaris Chriſte columna;
In terras ignem mittere quippe venis.

Stabat Mater.

DEficiente Deo, cur non defecerit Orbis,
Scire cupis? Genitrix maxima ſtabat adhuc.
Illa vices Nati implevit, mundoque regendo
Par fuit, & tantum tanta ſubivit onus.

Digitized by Google

Criſtallum Pudicitiæ Symbolum.

CErne, Puer, gelidi Criſtalla rigentia Montis,
Ut mores diſcas compoſuiſſe tuos.
Lucidus eſt illi candor. Si firma deeſſet
Durities; fragilis lux ſine laude foret.
Vitra nitent, quia ſed quoſvis franguntur ad ictus,
Hinc merito ſordent, nec pretioſa nitent.
Sic tibi qui fulget caſto ſub pectore candor,
Virtutis pretium non niſi firmus habet.

Jordanis.

NAſcitur ex Libano Superis gratiſſimus amnis:
Vix natum foliis palma, cedruſque tegunt.
Iſacidum Princeps fluviorum creſcit eundo,
Undarum huic omnes grata tributa ferunt.
Ille Paleſtinæ claras prope labitur Urbes,
Quæque ſuis undis irrigat arva beat.
Quid tamen iſta juvant? Tandem pulcherrimus amnis
Deſinit in putridi ſtagna pudenda lacùs.
Laudatas ibi perdit aquas infamibus undis:
Hunc finem curſùs degener amnis habet.
Tu quoque, ni ſcelerum fugias commercia; tandem
Peſſimus evades, optimus ante Puer.

Di-

Dives Avarus eget.

STulte, quid accumulas miſeris conatibus aurum?
Utere divitiis, ſi ſapis, ipſe tuis.
Quis color argento eſt, parco niſi ſplendet ab uſu?
Abdita quid terris lamina lucis habet?
Tantalus in mediis veluti ſitit aridus undis;
Tu nimias inter vivis egenus opes.
Divite pauperior nullus reperitur avaro:
Hinc Thuſcis merito dicitur eſſe miſer.
Namque deeſt illi quod non habet: inſuper idem,
Sponte ſua infelix, non habet id quod habet.

Leo beneficii memor.

DUm Leo per Libycas torvus ſpatiatur arenas;
Configit rapidos ſpina cruenta pedes.
Saucius ille gemens rugitibus aëra pulſat,
Quaque poteſt medicam voce requirit opem.
Androdus accurrit, captus pietate dolentis,
Et facili educit ſpicula cæca manu.
Androdus Auſoniam tendit: pariterque Leonem
Vexit ad Auſonias ſors inopina plagas.
Rerum cerne vices: idem damnatus eidem
Androdus obiicitur præda voranda Feræ.
Crederet hoc quiſquam? Veterem Leo noſcit amicum,
Lambit, & ingrato dente vorare negat.
Aſpice quid poſſint benefacta in corde Ferarum;
Ingratus ne ſit, deſinit eſſe Leo.

Tu

Tu ſuperas feritate Feras, homo deſinis eſſe,
Dum paria acceptis dona referre negas.

De Piſce Remora.

ASpicis, ut pelago Navis volat? Æquora faſtu
Quo premit, & fluctus imperioſa ſecat?
Ne tumidas iterum Neptunus concitet undas,
Serviles valido remige pulſat aquas.
Blanditur Zephyrus, pelagus blanditur eunti,
Et facilem monſtrant aſtra ſecunda viam.
Aſt inopina ratem mora quæ compreſſit euntem?
Quæ ſecat inceptam vis inimica viam?
An cæcos mediis ſcopulos offendit in undis?
Nereus an triplici dente moratur iter?
Tale nihil. Piſcis, fruſtrà impellentibus auſtris,
Exiguus, magnam detinet ore ratem.
Vita mare ambiguum eſt: qui vivit navigat. Ergo
Si ſapis, à minimis maxima damna time.

In Pyramides Ægyptiorum Regum Sepulcrales.

PArcite Niliaci Reges attollere moles,
Quæ Cœlo poſſint inſeruiſſe caput.
Marmora quid proſunt veſtris aggeſta Sepulcris?
Tempus edax valido marmora dente vorat.
Credite, disjectis venient ſua funera ſaxis:
Pyramides olim nil niſi pulvis erunt.

Bis

Bis miſeri gemino moriuntur funere Reges,
Æternùm qui ſe vivere poſſe putant:
Mors prior eripuit vitam, rapit altera famam:
Unica mors alios, vos geminata manet.

Palladis cum Neptuno certamen.

NEptunus vaſtam cum Pallade condidit Urbem:
Tradere vult Urbi nomen uterque ſuum.
Ante Jovem pugnant: Rex Juppiter omnibus idem,
Compoſuit lites hac ratione graves.
Qui dederit terris donum magis utile, nomen
Mœnibus ille dabit, Numen & Urbis erit.
Vix ea; Neptuni tellus lacerata tridente
Fudit Equum: victam credidit ille Deam.
At Dea terribili tellurem concutit haſta,
Et de concuſſo ſurgit Oliva ſolo.
Exclamant Superi: Vicit Tritonia, vicit,
Belli Equus, at ſignum pacis Oliva gerit.
Diſcite jam Reges bellis præponere pacem,
Si pacem bello prætulit ipſe Deus.

Cæſaris lacrymæ, dum videt Pompeii caput.

ACcipe Pompei caput à cervice revulſum:
Niliaci Regis nobile munus habes.
Quod poterat majus donum tibi tradere Nilus?
Hoc unum dignum Cæſare munus erat.
Cæſar ad hæc luget. Lacrymarum eſt cauſa voluptas
Forſitan, & quamvis lumina læta, dolent?

Ni-

Niliaco Regi numquid ſcelus invidet? optat
Ipſe ſua Generum dilacerare manu?
An ſibi materiem doluit periiſſe triumphi?
Aut veniam victo quòd dare non potuit?
Non ita. Se luget: victo nam cernit in hoſte,
Quid poſſit quondam Cæſar & ipſe pati.

Concio Cæſaris, Pompeii reciſum caput dum videt, ex Lucano:

HInc procul a noſtris oculis averte, ſatelles,
Niliaci Regis munera ſæva nimis.
Scilicet irritant noſtros tua dona furores,
Dum mihi tale ſcelus poſſe placere putas.
Quid viciſſe juvat, victis donare ſalutem,
Et Genero veniam ſi tribuiſſe vetas?
Ergo ideo Cæſar vicit, Ptolemæus ut inde
Romanos poſſit dilacerare Duces?
Imperii comitem Magnum tolerare negabam.
In partem Regni nunc puer ipſe venis?
Das victo mortem Magno, ſcelerate dediſſes
Quam mihi, ſi Magno victus ab hoſte forem.
Sed tamen ignoſco Regis puerilibus annis.
Do veniam, quòd ſum Cæſar, & ille Puer.

Ex lætitia Mors.

AUdiit extinctum ſævo in certamine mater,
Et natum gemuit commoritura ſuum.

Fa-

Fama fuit mendax: falſo de funere luctus
  Illa trahens veros, nocte, dieque dolet.
Viventi lacrymas Genitrix dum fundit inanes,
  Ille refert reduces ad ſua tecta gradus.
Perculit attonitam ſpecies inopina: Parentem
  Prolis in amplexu gaudia dira necant.
Cor miſeræ Matris fuit inſanabile: vulnus
  Quæ reparare poteſt, cui medicina nocet.
Optabas reducem? Redeuntem conſpice. Morti
  Claudere cur properas lumina? Natus adeſt.
Quis miſeræ, quis poſſit opem præſtare Parenti?
  Non redeunte doles, & redeunte peris.
O dolor! ò facinus! Matri dolor ante pepercit:
  Parcere neſcitis gaudia ſæva nimis.
Pertulerat luctum conſtanti pectore Mater,
  Quæ modo lætitiam ſuſtinuiſſe nequit.
Mens hominum durata malis, aſſueta dolori,
  Ferre poteſt luctum, gaudia ferre nequit.
Percipe, quiſquis ades: nimium gaudere recuſa,
  Cogaris forſan ne doluiſſe nimis.

Ad Abſalonem.

QUo fugis infelix? Fugientem fata ſequuntur,
  Suppliciumque tuum, quò fugis, ipſe trahis.
Siſte fugam demens juvenis: Genitore relicto,
  Qui fons eſt vitæ, funera ſæva time.
Ille fugit, donec pendens ex arbore ramus
  Implicuit ſparſas, detinuitque comas.
Infelix nimium, crines nutriſſe putabas,
  Nutribas laqueos neſcius ipſe tuos.

Im-

Implicuère oculos aliorum, & pectora crines;
Innectunt Domino nunc fera vincla ſuo.
Hoſtis adeſt: gladio crines abſcinde comantes,
Ne doleas vitæ fila reciſa tuæ.
Ille comis parcens, ſuſpenſus ab arbore pendet,
Ter donec ſævo fixus ab hoſte perit.
Perfide, læſiſti Patrem, Patriamque, Deumque:
Ergo triplex, triplici vulnere, ſolve ſcelus.

Idem argumentum.

GRæcia cur jactas Ganimedem ad ſidera raptum
Crinibus? Ad ſtygias hic modo fertur aquas.
Supplicium culpæ meritò reſpondet; Ephebus
Et quo peccarat crine necandus erat.
O Juvenes tanta cur pectitis arte capillos?
Quiſquis amat crinem, (credite) crimen amat.

Ariſtoteles Euripo ſeſe demergit.

SPectat Ariſtoteles agitatum Chalcidis æquor,
Et cauſam neſcit, quæ movet intus aquas.
Multa ſub ancipiti ſecum dum pectore verſat,
Fluctuat, ac patitur quas habet unda vices.
Non licet (exclamat) quidquid natura creavit
Noſſe? Quid ergo juvat vivere? Vita vale.
Vivere me cogis, cogis neſcire? Recuſo
Vivere, ſi vitam lex premit iſta meam?
Non ego te capio, pelagi revolubilis æſtus;
Vorticibus capies me tamen ipſe tuis.

Di-

Dixit, & ignotum ſeſe jaculatus in æquor,
Occidit æquoreis, Solis ad inſtar, aquis.

Regis Darii Mater, Alexandro mortuo, ſe necat.

VIctorem captiva ſuum Siſigambis acerbo
Cum videt extinctum funere, funus amat.
Se vocat ingratam nimium, quòd Rege perempto
Diſtulerit ſubitâ claudere morte dies.
Hoc ſcelus ut plectat citius, ſibi denegat eſcam,
Ut properet mortem mixta dolore fames.
Non ita Darium flebas pia Mater ademptum:
Illo obeunte doles, hoc pereunte peris.
Extinctam ſobolem Regina invênit in hoſte,
Et ſe vix orbam credidit eſſe parens.
Darium potuit Macedo penſare Parenti;
Qui Magni penſet funera, nullus erit.

Monima Regina à Diademate ſuo mortem non impetrat.

MOnima ter victi Mitridatis nobilis uxor,
Certa mori, laqueos in ſua fata parat.
Nec mora: Regali ſtringens diademate collum,
De trabe ſublimi flebile pendet onus.
Fracta ſed officium Dominæ præſtare recuſat
Faſcia: nam laquei munus obire pudet.
Aurea quid Regni proſunt Inſignia, vitam
Si dare non poſſunt, funera ferre negant?

Fata Viro Uxorem coniungunt: ille veneno
Scilicet, at laqueis iſta perire nequit.

Eques Laurentius Berninus, & P. Athanaſius Kirkher eàdem nocte moriuntur.

BErninum, & Kirker vicino funere raptos
Roma dolet: geminum nox premit una Jubar.
Tempora conveniunt mortis, nec diſcrepat ætas:
Et ſenio, & ſtudiis feſſus uterque cadit.
Materies docti geminis fuit una laboris.
In ſtatuis alter vivere ſaxa jubet;
Interpres Pharios Obeliſcos explicat alter,
Et jubet in Latio Barbara ſaxa loqui.
Hic vocem ſaxis, hominis dedit ille figuram.
Sunt ſimiles vitâ: ſint quoque Morte pares.

Pictor, depictum à ſe Deum Judicem ſpectans, moritur.

ANnibal, Italiæ viſus redivivus Apelles,
Ultorem mirâ pinxerat arte Deum.
Stat rigidus ſolio Judex, pœnaſque minatur.
Fulgura cum tonitru, fulmina vultus habet.
Attonito ſtupuit defixus lumine Pictor,
Horret, pallet: opus jam timet ipſe ſuum,
Occidit, expertus qualem formaverat, & quod
Judicium telâ pinxerat; ipſe ſubit.
Hei mihi! Si pictus potuit dare funera Judex;
Quid faciet, vero cum dabit ore minas?

Puer

Puer à Pomo ſuffocatur.

PEr ludum Druſus jaculatur in aëra Pomum,
Et rediens patulo ſuſcipit ore Puer.
At ſemel in fauces Pomum nimis intrat apertas,
Et vitæ medio in gutture claudit iter.
Sæva nimis Puerum perimit Libitina jocantem:
O dolor! & ludus funera vera parit.
At miror, Puero dederit cur funera Pomum?
Humano generi mortis origo fuit.

Pyrrhum victorem Fœmina interficit.

ARgolicam Pyrrhus victor pervadit in arcem,
Et victam vinci vix potuiſſe putat.
Aſpicit hunc laudis ſtimulata cupidine Virgo:
Victorem affectat vincere victa ſuum.
Nec mora; præcipitans tecti de culmine ſaxum,
Invictum ſternit fæmina victa Ducem.
Infelix! alio poteras occumbere fato,
Et non fæmineâ procubuiſſe manu.
Nunc ſcio, cur Pyrrho virtus Romana pepercit.
Auferat ut fortem mors ſine laude Ducem.
Hoc tamen infelix miſeram ſolabere cladem,
Quod fortem imbelli morte imitaris Avum.
Semivir Æacidem Paris olim ſtravit Achillem;
Stratus fæmineâ nunc cadis ipſe manu.

In Sepulcrum Alexandri Septimi P. M.

QUæ nova Alexădro ſurgunt monumenta, perennis
  Chriſtiadum ut mæſto in marmore vivat amor,
Attollens vitrum, quod pulvere dividit horas,
  Cur frontem velis mors adoperta ſedet?
An quia, luminibus niſi cum velata fuiſſet,
  Tollere tam ſanctum non foret auſa caput?

In funere Andreæ Abbatis Bernardi Theologiæ ſtudioſi in Seminario Romano.

PAlladis ad metam ſtudiis acceſſerat Heros,
  Maximus ingenio, nec pietate minor.
Præmia jam Pallas docto properabat Alumno;
  Et capiti circum laurea ſerta dabat.
Aſpicit hoc Pietas, Juvenis quæ prima voluptas,
  Et fuit in caſto pectore primus honor:
Et ridens: Non hæc perituris frondibus (inquit)
  Tempora; muneribus ſunt decoranda meis.
Sic ait, & meritum Juvenem tranſmiſit Olympo,
  Laurea ne cingant ſerta, ſed aſtra comas.

Extinctæ Galliarum Reginæ.

OCcidit Auſtriadum Soboles, Rhodanique potent
  Arbitra. Proh quantum mors fuit auſa nefas!

Gar-

Garrula Tyndariden ſileat mihi fama Lacænam:
Hæc melior, ſed non pulchrior illa fuit.
Scilicet armorum cauſam dedit illa: ſed armis
Connubio hæc poſuit, funeribuſque modum.
Hæc ſervat plures, quam perdidit illa. Sepulcro
Det lacrymas, quiſquis gaudia pacis amat.

In funere Ferdinandi Secundi Magni Etruriæ Ducis.

NOn eſt, cur Pariis moles ſuffulta columnis
Manibus attollat Buſta ſuperba tuis,
Ferdinande, ſibi diro quem funere raptum
Luctibus æternis Flora relicta gemit.
Pectore nam Coſmi melior patet urna Parenti:
Non poteris tumulo nobiliore tegi.

In funere Eminentiſſimi Franciſci Card. Nerlii Præſulis Florentini.

FUnde oculis lacrymas, triſteſque iterato querelas,
Et viduata tuo Præſule Flora dole.
Ille quidem meritis longos impleverat annos,
Bis ſeptem numerans luſtra peracta ſenex.
Vixerat ille diu, ſi quis numeraverit annos;
At ſi reſpicias publica vota, parum.

In funere Caroli Cardelli, integerrimi, & nobilis Adoleſcentis Romani.

CArolus occubuit properato funere raptus,
  Qui flos Romanæ nobilitatis erat.
Flos erat ingenio, flos & virtute: pudoris
  Lilia virginei corde, geniſque tulit.
Inclite flos Juvenum, languens florentibus annis,
  Hoc etiam, pereas ut cito, floris habes.
Fallimur, haud periit: Superum traduxit in hortos,
  Ne pereat, florem mortis amica manus.

In funere Excellentiſſimæ Dominæ Olympiæ Aldobrandinæ Pamphiliæ.

PRomit adoratam terris ubi Purpura lucem,
  Roma ſibi plaudit Regibus aucta novis.
Invida Romanæ tot gaudia ſurgere genti
  Mors dolet, & falcem terque, quaterque rotans,
Hæc ſecum: Toto Latium beat amne voluptas
  Scilicet, & fuerit nullus in Urbe dolor?
Non ita. Si quidquam poſſunt mea Numina, Tybris
  Mox eat in lacrymas, luctus ubique ſonet.
Hæc ait, & falcem ſubito vibrat impete: Matres
  Auſonias inter prima repente cadit.
Dives opum, tituliſque potens, virtutibus ingens,
  Tot procerum Genitrix fertilis illa cadit.
Publicus hinc Urbi luctus: Mors funere in uno
  Gaudia Romulidum cuncta perire jubet.

In

In Pſittacum.

PSittace, Romanæ cur Palladis otia turbas,
Dum tua tam crebris cantibus ora ſonant?
O utinam nunquam veniſſes littore ab Indo
Tybridis ad ripas, garrula ſemper Avis.
Tu Præceptorem prohibes audire docentem,
Vocibus ac turbas carmina noſtra tuis.
Quodque malum eſt gravius, noſtros garrire puellos
Ipſe tua nimium garrulitate doces.
Parce loqui, aligeræ gentis facundia. Scimus
Jam ſatis humanos te didiciſſe ſonos.
Quod ſi non ceſſas, meritas dabis improbe pœnas.
In Corvi faciem vertet Apollo tuam.
Sed quid ego hæc? Pergas totis garrire diebus;
Ut rumpas cantu te miſer ipſe tuo.

Utile damnum.

SEquana regalem quà præterlabitur Urbem,
Et nitidis Regum lilia lactat aquis,
Raptatur merito religandus colla capiſtro,
Quem faciunt mortis crimina multa reum.
Nec tam criminibus, quam ſeptem uxoribus, idem
Quas duxit, tota cognitus Urbe fuit.
Hæc ubi connubii novit miracula Princeps,
Sæva reo demi vincla repente jubet.
Liber eat. Meruere graves ſi crimina pœnas;
Jam dedit, & ſeptem pertulit ille cruces.

Coma diſcolor barbæ.

ALbeſcunt crines, nigreſcit barba Metello,
Cum mento ſolitum nec coma fædus habet.
Talia miratus Princeps diſcrimina ridet,
Et quæ diverſi cauſa coloris? Ait.
Es Juvenis, pariterque ſenex: Miracula cerno:
Corvus ades mento, vertice Cygnus ades.
Ille autem: Princeps mirari deſine. (dixit)
Cæſaries menti naſcitur ante pilos.

Cervi duo Romani Collegii Porticum intrant.

REs nova! ramoſo ſublimes vertice Cervi
Præcipiti ſubeunt atria noſtra gradu.
Utque Canes fugiant, venatricemque Dianam,
Palladios quærunt corde pavente ſinus.
Parce, precor, noſtri Moderator, parce Licæi,
Nec pavidas docto ſè limine pelle feras.
Quò pecus Arcadicum toties intrare videmus,
Non liceat Cervis poſſe venire ſemel?

Rhetor cenaturus ſine Vino, Magiſtro intercedente abſolvitur.

FAllimur? An cerno miracula vera? Repente
In vinum faciles erubuiſtis aquæ.

Qui

Qui Rhetor tulerit lentos ad gymnada paſſus,
  Huic viduas ultrix cæna propinat aquas.
Sum reus ipſe moræ; cur ſpumat nectare vitrum,
  Attonitamque levant vina beata ſitim?
Scilicet hoc blandi voces potuere Magiſtri,
  Qui nos carminibus nectere verba docet.
Arte Magiſterii facit hoc. Jubet eſſe poetam,
  Facundos calices hinc mihi (credo) parat.
Noſtra tuis juſſis decurrent carmina: Bacchus
  Quando Venuſino carmina teſte docet.

Orpheus Uxorem ab Inferis repetit.

UT revocet manes extinctæ Conjugis Orpheus,
  Tartareos audet vivus adire lacus.
Diſcite quò rapiat temerarius error amantes;
  Hoc amor invadit ſæpè profanus iter.
Euridicem obtinuit reducem pro munere Cantor:
  Falleris: haud munus, pæna ſed illa fuit.
Sic luit Umbrarum violata ſilentia; majus
  Hoc dare ſupplicium Pluto nec ipſe poteſt.
Sed quia dulce canens Regem recreaverat Orci,
  Hinc illi levior pæna, breviſque datur.
Uxo rem Vati Pluto quam reddidit aufert.
  Reddiderat ſævus, mitior inde rapit.

Ingenium Præcox.

MAximus ingenio Juvenis plaudente Theatro,
  Quæ ſcripſit nuper carmina docta, canit.

Ob-

Obſtupuere omnes: ſed Princeps plauſibus obſtans,
Hos importuno protulit ore ſonos.
Admiror, timeoque ſimul: vaneſcere virtus
Aſſolet, ætatem ſi venit ante ſuam.
Quique vir eſt pueros inter, creſcentibus annis,
Sæpe viros inter cernitur eſſe puer.
Sic palea ingentem tenuis citò concipit ignem,
Sed citò conceptus deſinit ille nitor.
Fulgura vaneſcunt tenues vix viſa per auras:
Et funus, quando vix oriuntur, habent.
Riſit ad hæc Juvenis, placidoque hæc reddidit ore.
Ingenium Puero num tibi grande fuit?

Equus, & Aſinus: Apologus ex Æſopo.

Pondere ſub nimio feſſus languebat Aſellus,
Sarcina cum fortem nulla gravaret Equum.
Hunc rogat Arcadiæ raucus telluris alumnus,
Ut comes injuſti ponderis eſſe velit.
Succeſſu caruere preces: ad prælia natus
Plebejum ſonipes ferre recuſat onus.
Ergo oneri oppreſſus quadrupes ſuccumbit iniquo,
Et ſubito extinctus concidit Arcas olor.
Pondus Equo Dominus, pellemque imponit Aſelli,
Et ſuper ipſe ſedens terga ſuperba premit.
Partem oneris tolerare negas? Graviora ſubibis.
Plura ſubit, quiſquis juſta ſubire negat.

Diogenes moriens Sepulcri honorem contemnit.

SUpremos Cynicus moriens contemnit honores,
Ac tumuli extincto munus inane putat.
Inclamant comites fruſtra: Tua membra volucres,
Et rapient avidi non tumulata Canes.
Ille autem, Baculum morienti apponite, dixit,
Ut cupidas poſſim pellere fuſte feras.
Sed nihil extinctus poteris ſentire, reponunt,
Nec circum ſtantes ora videre Canes.
At Cynicus contra; Quid prodeſt ergo Sepulcrum,
Si nobis illo nil caruiſſe nocet?

Vltio nocet Vltori.

DUm faber antiqui ſarcit faſtigia tecti,
In mediam præceps decidit inde viam.
Nulla tamen patitur labentis vulnera corpus,
Sed caput alterius, dum cadit, ille ferit.
Saucius innocuo repetit pro crimine pænas.
At faber hos ridens reddidit ore ſonos.
Sum reus o Judex fateor. De culmine tecti
In noſtrum præceps decidat ille caput.

Cri-

Criminum confeſſio ſincera veniam obtinet.

PArthenopes Prorex, qui majeſtate verendus
Auſtriacâ Regnum ſub ditione tenet,
Regales viſit naves, ubi vertice raſo
Ad remum ſontes crimina facta luunt.
Quemque rogat Princeps, Solvis quo crimine pœnam?
Cur reus aſſiduo verbere ſcindis aquas?
Quis credat? Se nemo reum, nemo eſſe fatetur.
Ille ſuum minuit crimen, & ille negat.
Hos inter querulos unus ſua crimina damnat,
Confeſſus meritis ſe leviora pati.
Exclamat Prorex, Procul hunc auferte: tot inter
Inſontes, unum non decet eſſe reum.

Infanti Auſtriaco.

POſt longas, dubiaſque moras, poſt vota preceſque,
Naſceris Auſtriadum gaudia ſera Puer.
Auguſto ſimilem Genitori fingere Natum,
Ardua Naturæ cura, laborque fuit.
Vulgares animas cito fundit: Cæſaris Aulam
Pignora quæ deceant, ſunt meditanda diu.
Unica nec tanto par ſit Natura Puello,
Gratia ni ſocias commodet ipſa manus.
Tantæ molis erat Leopoldi condere Prolem,
Ut Superos etiam grande fatiget opus.
Jam penſes Puer alme moras: qui ſerus adiſti
Regalis vitæ limina, ſerus abi.

In Veſuvium Montem, Neapoli proximum.

HIc ubi Parthenope Siren tumulata quieſcit,
Regna voluptatis non violanda vides.
Majeſtas Urbem, tepor aëra, gratia campos,
Nobilitas Cives, tectaque ſplendor habet.
Accumulat natura uni, quæ ſparſit in omnes,
Omnia: ditat agros Bacchus, & alma Ceres.
Sed tamen hanc flammis infeſtat Veſvius Urbem,
Et penitus fauſtam non ſinit eſſe plagam.
Ille ſinu flammas, tempeſtateſque nigrantes
Evomit, & campos igne, domoſque vorat.
Scilicet Elyſios Regio cum præferat hortos;
Tartareos ignes non decet eſſe procul.

Ad Nobilem Hoſpitem, dum Gymnaſium inviſit.

FOrmoſi ne forte putes te culmina Pindi
Scandere, Muſarum vel ſubiiſſe domos.
Nulla hic, quæ tanti permulceat hoſpitis aures,
Quæ citharam doctà temperet arte, manus.
Non, quæ frondentes ſubeunti præbeat umbras,
Explicat ornatas laurus opaca comas.
Res inopes ſpectas: obſcuri tecta Lycei,
Exiguoſque lares, maximus ipſe ſubis.
Serta tibi Muſæ properaſſent florea: Sed flos
Tam merito dignus vertice nullus erat.

Tu

Tu præſens ſteriles cum fæcundaveris hortos,
Tunc fuerint capiti munera danda tuo.
Luminibus radiata tuis nova germina creſcent
Scilicet, & flores aura favoris alet.

Philoſophus in procelloſo mari timet.

Æquoreis Sophiæ cultor jactatus ab undis
Ingemit, & gelido pallidus ore timet.
Inſultant pavido Nautæ, Te funera terrent,
Contemptor vitæ qui modo ſolus eras?
Nos genus indoctum ventos ridemus, & undas,
Et vultu excipimus non trepidante necem.
Vos meritò mortem contemnitis, ille reponit.
Vile etenim eſt veſtrum vivere, vile mori.
Sors mihi quàm diſpar! Noſtræ Sapientia vitæ
Grande facit pretium: nos timuiſſe decet.
Non mihi, ſed mundo timeo. Si mergor in undis;
Tunc pariter virtus me pereunte perit.

Romani ſub jugum mittuntur à Samnitibus.

Montibus incluſos anguſta in Valle Quirites
Deſuper inſultans gens inimica premit.
Dux victor dubitans Genitorem conſulit: hoſti
Quæ ſit devicto debita pœna, rogat.
Admonuit Juvenem Senior; Vel parce ſubactis
Omnibus, aut omnes fata ſubire jube.
Si parcas; hoſtis per te ſervatus amabit:
Si pereant; noceat qui tibi, nullus erit.

Im-

Imprudens Juvenis cauti mandata Parentis
  Negligit, & mediam geſtit inire viam.
Sævit, & ignoſcit: ferus, & mitiſſimus idem,
  Imperat, ut ſubeant agmina victa jugum.
At citò Romulidæ pænas ex hoſte requirunt,
  Amiſſum & reparant per nova bella decus.
Ne Juvenis contemne ſenem: tu prælia ferro;
  Judicio melius ſed gerit ille ſuo.

Nero, Alexandri Simulacrum inaurari jubet.

CErnis Alexandri Statuam? Poſt funera Magnum
  Vivere Lyſippus juſſit in ære Ducem.
Hanc Nero, crudelis vel dum blanditur, inaurat:
  Obſcurat Statuæ lux pretioſa jubar.
Conſilium demens! Non auro bellica Regis
  Pectora, ſed forti ex ære referre decet.
Aſpice quàm fuerint crudelia facta Neronis!
  Dum ſimulat Magno munera ferre, nocet.
Nam pretium pretio ſimulacrum amiſit, & auro
  Cum ſuper induitur, nobile ſordet opus.
Sævierat ferro, voluit ſævire vel auro:
  Aurum cum donat ferreus ille fuit.
Forma perit Regis, Lyſippi & fama: vel uno
  Munere crudelis perdidit ille duos.

Nero adhuc Clemens capitali ſententiæ ſubſcribere recuſat.

O Utinam nunquam didiciſſem ſcribere, mortem
Ne ferret digitis charta notata meis.
Qui premit Imperio Populos, ſervire jubetur?
Reſpuo crudeli ſceptra gerenda manu.
O miſeros Reges pulchro ſub nomine: reddit
Qui miſeros alios, eſt magis ipſe miſer.
Infero quas aliis pænas, ego perfero. Vitam
Non amo, ſi mortem dat mea vita reis.
Cur mea Naturæ nimium fortuna repugnas?
Sum pius; at Regni Lex jubet eſſe ferum.
Odi fortunam, quæ me vetat eſſe Neronem,
Atque reis veniam non dare ſæva jubet.
Sic Nero conqueritur, pænas ſcripſiſſe coactus:
Cumque reos damnat, ſe putat eſſe reum.
O equidem dignas Romano Cæſare voces,
Quas Reges omnes edidiciſſe velint.
O dignas, redeant quibus aurea ſæcula, voces,
Cum nullum toto crimen in orbe fuit.
Parcite criminibus Cives, ne ſcribere pænas
Cogatur vobis Cæſar, & ipſe ſibi.

Aloyſiam Hiſpaniarum Reginam Rex Galliarum Ludovicus adoptat.

DEſtinat Auſtriaco Regi dum Sequana Nuptam,
Regius ut geminet fædera pacis Hymen,

Quæ

Quæ tribuet Sponſæ Ludovicus dona? Puellæ
Magna licet dederit, non dedit ille ſatis.
Quid faciet? Sponſam Rex Magnus adoptat, & inquit;
In thalamos Caroli me Patre dives eat.

Idem argumentum.

AUſtriaco Nuptam Regi Ludovicus adoptat.
Regia jam proles, Regis & Uxor erit.
Neſcia fatorum errafti fortuna. Parentem
Reginæ Regem cur Dea cæca negas?
Corrigit errantem Regis prudentia: ſortem
Imperiis cogit ſuccubuiſſe ſuis.
Sorte tua felix, Regalis filia mentis,
Altera Sequanico de Jove Pallas eris.

Rex Ægyptius Pyramidi attollendæ filium ſuum alligat.

NIliacus Princeps obeliſcum attollere in auras,
Et pariter nomen geſtit in aſtra ſuum.
Sed timor eſt Regi, ne, dum ſuper æthera moles
Tollitur, in præceps fracta repente cadat.
Alligat ergo Parens obeliſci in vertice Natum:
Sic manus artificium cautior urget opus.
Hinc diſcas, tumidæ ſit quanta inſania menti.
Ne pereat ſaxum, quam prope Natus obit!
Saxea ſunt Genitor demens tibi viſcera, ſaxo
Qui poteras Natum poſthabuiſſe tuum.

Hiſpaniarum Regi Carolo II. in Nuptiis cum Aloyſia Borbonia.

AUſtriacæ columen ſtirpis Rex Carole, nutu
Qui geminos Orbes imperioſe quatis.
Accipe Borboniam, quam mittit Sequana Nuptam:
Regalis renovet fœdera pacis hymen.
In thalamos, o quanta venit! quo culmine laudum
Auguſtas inter tollitur illa Nurus!
Hanc melius geminis repetiſſet Græcia luſtris:
Hæc belli merces clarior una foret.
Carole, quàm fauſto tibi ridet ſidere Cælum!
Digna peti bello munera Pace refers.

Judicium Salomonis.

INcerto geminæ Matres de pignore certant:
Illa ſuum Puerum dicit, & illa ſuum.
Rex ait, Hæc gladio dirimam certamina: Mater
Utraque ſit Puero, natus utrique Puer.
Subdola conſenſit Mater, ſed vera recuſat.
Vivat, ait: puerum, jam licet, illa ferat.
Redde tuum, lictor, vaginæ redde Mucronem:
Cede furor; Martis bella diremit amor.
Quæ Puerum periiſſe vetat, dat munera vitæ:
Nunc fieret, quamvis non foret ante, Parens.

Pla-

Plato iratus.

VEl Plato (quis credat?) ſubitas exarſit in iras,
Pectora qui vitiis non penetranda gerit.
Nudatos humeros famuli mox verbere cædit,
Ad pænam juſſus quos dedit ille reus.
Aſt ubi correptum ſeſe cognovit ab ira,
Suſpendit ſubitò verbera, flagra, manum.
Stat percuſſuro ſimilis, nec percutit unquam,
Et, quæ promittit, verbera nulla cadunt.
Sic Sapiens pendente manu ſe plectit, ob iram
Scilicet, & famulum ſe jubet eſſe Sui.
Cur reus eſt famulus? Domino parere recuſat.
Qui ſibi non parcit, ſed magis ille reus.
Ira alios ſævire jubet; ſed cauſa Platoni,
In famulum cur non ſæviat, ira fuit.

Diogenes mendicat à ſtatuis.

MEndicat Cynicus. Virtus laudatur, & alget,
Et quamvis animo divite, corpus eget.
Aſt ubi mendicat? Quà porticus alta Corinthi
Exhibet antiquos marmore, & ære Duces.
Scilicet ut diſcat locupletum ferre repulſas,
A ſtatuis vano mumure poſcit opem:
Tam duros precibus toties expertus avaros,
Ut lapides citius flectere poſſe putet.
Si ſaxo ſimulacra rigent; cor divitis auro.
Ad querulas flecti neſcit utrumque preces.

Agathocles ex Figulo Rex Siciliæ fictilibus cænat.

SUmere Regales faſces Agathoclea virtus
  Cum jubet, & forti ſceptra rotare manu;
Fictilibus cęnat, patriæ non immemor artis,
  Et gaudet priſco menſam onerare luto.
Scilicet obſcuris Natalibus ille ſuperbit:
  Conditor ipſe ſuæ nobilitatis erat.

Fabius Cunctator.

ARma fremit, capit arma manu Romana Juventus,
  Hoſtibus ut properet bella, neceſque ſuis.
Cunctatur Fabius, properantiaque arma coërcet,
  Et cupidos belli bella movere negat.
Pulchrius eſt (clamat) Pænos viciſſe morando.
  Sic celebres palmas otia lenta dabunt.
Romani pugnant vel non pugnando: triumphus
  Qui ſine cæde venit; non ſine laude venit.
Pugnando vincant alii, viciſſe ſedendo
  Nos decet: in Pænos pugna ſit ipſa quies.
Ne pudeat, Romane, tuos inhibere furores;
  Ipſa etiam inverſo nomine Roma, mora eſt.
Expectet miles, totam dum colligit iram:
  Fortior in Pænos vis cumulata ruet.
Vince animos, iramque tuam fortiſſime Miles:
  Te, ſi vis hoſtem vincere, vince prius.

An-

Annibalis cum Scipione colloquium.

SCipio jam victum Annibalem ſcitatur, in Armis
Præcipuos famà quos putet eſſe Duces.
Tradit Alexandro primas, Pyrrhoque ſecundas,
Mox ſibi poſtremum vindicat ipſe locum.
Scipio contemptum ſeſe miratur, & inquit;
Quid ſi non victus, me ſuperante, fores?
Pœnus ad hæc: Victum mihi te ſi fata dediſſent,
Armorum nulli laude ſecundus eram.
Extulit Annibalem ſi tanta ſuperbia victum;
Victori faſtus, coniice, qualis erat.

Mutus Cræſi filius repente loquitur.

IMminet hoſtilis Cræſi cervicibus enſis,
Et parat ignoto fata ſuprema Duci.
Aſpicit hoc Natus: ſedenim natura Puello
Dura nimis voces edere poſſe negat.
Sed quamvis natura neget, tamen ille locutus,
Exclamat; Genitor tela inimica cave.
Diſcite quid poſſit pietas. Ne ſtamina Patri
Scindantur, vocis vincula ſcindit amor.
Fortunate Puer, vitalia munera Patri
Et ſolà, & primà reddere voce potes.

Philippus Ariſtoteli, nato Alexandro filio.

NAtus Alexander tandem eſt mihi munere Divum,
Gaudia regnantis prima, decuſque Patris.
Gratulor hoc genitum Puerum mihi tempore, quo tu
Illuſtras meritis Attica Regna tuis.
Quid Puero proſit genitorem habuiſſe Philippum,
Ni præceptorem poſſit habere parem?
Magnus erit, magni capiens documenta Magiſtri.
Tu Regem, populos dum regit ipſe, regas.
Illum ego progenui: mihi, pondus inutile, corpus
Debuit, aſt animum debeat ille tibi.
Ingenuas artes, ac dignos Principe mores
Tu niſi tradideris; non erit ille meus.

Alexander Genitori Philippo invidet.

AUdit Alexander cum bellica geſta Philippi,
Nobilis invidiæ tactus amore gemit.
Cum plaudunt omnes, natus dolet unicus: hoſtem
Nec temerè Puerum dixeris eſſe Patri.
Si meus (exclamat) vincit Pater omnia, vincam
Quos ego, ſi palmas occupat ille meas?
Non ſatis eſt illi Græcos viciſſe? Quieſcat.
Hoſtes, quos poſſit vincere, quærit adhuc?
Siſte Pater curſus, animos moderare ſuperbos.
Cur mihi, quod vincam, nil ſupereſſe finis?

Sci-

Scilicet invideo Genitori natus? Honores
Invidet, ac palmas verius ille mihi.
Hæres Patris ero: heredem pudet eſſe Parentis,
Et quæ non domui, regna tenere, piget.
Præmia virtutis poſco, non munera ſortis.
Nam quæ non vici, vix mea regna voco.
Infelix Natus felici Patre: Philippum
(Credite) Alexandro Patrem habuiſſe nocet.
O utinam obſcurà genitus de plebe fuiſſem,
Ut fortunæ opifex dicerer eſſe meæ.
Parce Puer. Veterem Genitor ſi vicerit Orbem;
Vincendus Nato tunc novus Orbis erit.

Alexander claudo Genitori gratulatur.

HOſtili contorta manu baliſta Philippum
Læſit: inæquali claudicat ille gradu.
Plaudit Alexander pulchro pro vulnere Patri,
Atque hilari tales protulit ore ſonos.
Sorte tua Genitor gaude: fuit utile damnum,
Ut merito poſſis vulnus amare tuum.
Nulla ſolo poſthac Princeps veſtigia figes,
Cogaris Palmas quin meminiſſe tuas.
Jam calcas graviore gradu, jam proteris hoſtes:
Ocyus ad famæ culmina claudus eas.

Ale-

Alexander vulneratus Mortalem ſe fatetur.

FErtur Alexander medios moriturus in hoſtes,
Militis ut partes impleat, atque Ducis.
Cum ſubitò hoſtili calamus properavit ab arcu,
Et ferit Auguſtum cuſpis adacta latus.
Regius invicto prodit de corpore ſanguis,
Erubuitque novo murice tincta Chlamis.
Ad circumſtantes Macedo converſus amicos;
Vos me (inquit) ſobolem dicitis eſſe Jovis.
Cernitis? Hic ſanguis prolem probat eſſe Philippi:
Vulnera teſtantur, nos quoque poſſe mori.
Nunc & damna juvant. Inflictum corpore vulnus,
Inflatos animos detumuiſſe docet.

Alexander moriens conſolatur amicos.

PEllæum Juvenem rapiat cum funus acerbum,
Stant comites circum, & fletibus ora rigant.
At Macedo his dictis flentes ſolatur amicos,
Et lacrimas, cauſam queis dedit ipſe, vetat.
Cur annos numeratis? (ait) Numerate triumphos,
Ut videar vobis eſſe repente ſenex.
Quis Magnum neget eſſe ſenem, qui plurima geſſit,
Quæ plures poſſint condecorare Duces?
Annorum numero brevis eſt mihi vita: ſed æquat
Sæcula ſi meritis; cur brevis eſſe poteſt?

Par-

Parcite jam lacrymis, potius gaudete ſodales.
Sit mihi vita brevis; fama perennis erit.

Virgo egena comas vendit.

MUnere Naturæ dives pulcherrima Virgo,
Aſt eadem fortis crimine pauper erat.
Avulſos vendit flavo de vertice crines;
Sic vitæ, & famæ conſuluiſſe juvat.
Nec mora: dives emit venales fæmina crines,
Et ſtupet, & cujus ſit coma, noſſe cupit.
Novit, & accumulat donis miſerata Puellam:
Sic retulit caſtus præmia digna pudor.
Aurea Davidis Natum coma perdidit olim;
Aureus huic crinis cauſa ſalutis adeſt.
Diſce Puer. Coma ſi fuerit neglecta, juvabit.
Plus æquo fuerit ſi tibi culta, nocet.

In Leonem Florentinum.

FLora time: rabidus regali ex carcere fractis
Proſiluit vinclis in tua damna Leo.
Ore ferox, oculiſque minax, atque unguibus aſper,
Attonita ſubitum ſpargit in Urbe metum.
Diffugiunt pavidi Cives. At forte relictus
In trivio ludit blandulus ore Puer.
Corripit infantem crudelis bellua: jam jam
Jejuno teneram devorat ore dapem.
Accurrit Genitrix, terret clamore Leonem,
Et populi terror qui fuit ante, timet.

Re-

Reſtitit, & matri reddit ſua pignora. Vires
　Unde habuit tantas fæmina? Mater erat.
Jam Tiberi fas eſt Arnum præferre. Leones
　Hic placidos vidit, viderat ille Lupas.
Deſinat Alciden mirari Græcia: vicit
　Scilicet ille armis, fæmina voce Feras.

FINIS.

PAGINA	LINEA	ERRATA	CORRIGE
25	ultima	Awbitioſus	Ambitioſus
29	22	Ponit	Poſſit
29	penultima	Athabaſius	Athanaſius
39	24	Prima,	Prima:
41	29	Floribux	Floribus
52	25	Ad ſtantem	Adſtantem
53	10	Ego	Ergo
57	25	Popinat	Propinat
80	3	Crlnes	Crines
80	24	Meam?	Meam.

Digitized by Google

005667652

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google